

Qui venerandum Confessorem famulum  
tuum beatum Franciscum, tua, Deus,  
altissima bonitate et clementia, Sanctorum  
tuorum meritis et virtutibus sublimasti  
mentemque ipsius Sancti Spiritus  
operatione, amor ille seraphicus arden-  
tissime incendit interius: cuiusque  
corpus sacris Stigmatisbus insignivit  
exterioris, signo crucifixi Iesu Christi  
Domini nostri. Per quem magis  
statim tuam laudant Angeli, adorant  
Dominaciones, tremunt Potestates.  
Cochi etc.

Albina Hohn  
prosi Wilebnego ks. Hilkiewicza  
o Msze Stęsa za spokój duszy brata  
s.p. ks. kanonika Józefa Tarnawieckiego  
byłego proboszcza w Tarnopolu.



Das heiligste Herz Mariä.  
Gebr. Benziger in Einsiedeln.

MISSÆ PROPRIÆ  
PATRONORUM,  
ET  
FESTORUM  
REGNI POLONIÆ.  
AD NORMAM MISSALIS ROMANI  
ACCOMODATÆ.

FESTA DECEMBRIS.

Die iv. Decembri.

INFESTO

S. Barbaræ Virginis & Martyris.

Introitus. Psal. 18.



Oquébar de testimoniis  
tuis in conspéctu regum, & non confundébar: & meditábar  
in mandatis tuis, quæ  
dilexi nimis.

Psalm. ibid. Beati immaculati in via,  
qui ámbulant in lege Dómini.

¶ Glória Patri. Oratio.

Deus, qui inter cætera potentia  
tuæ miracula, étiam in sexu frá-  
gili victoriæ martyrii contulisti:  
concede propitius; ut, qui beatæ Bár-  
baræ Vírginis & martyris tuæ natalitia  
colimus, per ejus ad te exempla gradiá-  
mur. Per Dóminum nostrum Jesum  
Christum Filium tuum: qui tecum vi-  
vit & regnat in unitate Spíritus sancti  
Deus.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccl. 51.

Confitebor tibi Dómine Réx, &  
collaudábo te Deum Salvátorem  
meum. Confitébor nómini tuo:  
quóniam adjútor & protéctor factus  
es mihi, & liberásti corpus meum à per-  
ditione, à láqueo linguæ iniquæ, & à

lábijs operántium mendácium, & in  
conspéctu astántium factus es mihi ad-  
jutor. Et liberásti me secundùm mul-  
titúdinem misericórdiæ nominis tui à  
rugientibus, præparátis ad escam, de  
mánibus quæréntium ánimam meam,  
& de portis tribulatióonum, quæ cir-  
cumdedérunt me à pressura flammæ,  
quæ circumdédit me, & in médio ig-  
nis non sum æstuáta: de altitudine ven-  
tris íferi, & à lingua coinquináta, &  
à verbo mendaciæ, à rege iníquo; & à  
lingua injústa. Laudábit usque ad mor-  
tem ánima mea Dóminum, quóniam  
éruis sustinéntes te, & liberas eos de  
mánibus géntium, Dómine Deus no-  
ster.

Graduale. Psalm. 44. Dilexísti ju-  
stitiam, & odísti iniquitatem. ¶ Pro-  
ptéra unxit te Deus, Deus tuus, óleo læ-  
títiæ. Alleluja, alleluja.

¶ ibid. Adducéntur Regi virgines post  
eam, proximæ ejus afferéntur tibi in  
lætitia. Alleluja.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm  
Matthæum. Matth. 25.

In illo tempore: Dixit Jesus dis-  
ciples suis parabolam hanc: Simile  
erit regnum cœlorum decem vir-  
ginibus: quæ accipiéntes lámpades fu-  
as, exiérunt óbviam sponso, & sponte  
Quinque autem ex eis erant fátuæ, &  
quinque prudéntes: sed quinque fátua  
accéptis lampádibus, non sumperun-

óleum secum: prudéntes verò accepérunt óleum in vasis suis cum lampádi-bus. Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes, & dormierunt. Média autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite óbviām ei. Tunc surrexerunt omnes vírgines illæ, & ornaverunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixerunt: Date nobis de óleo vestro: quia lámpades nostræ extinguuntur. Respondérunt prudéntes, dicentes: Ne fortè non sufficiat nobis, & vobis, ite pótius ad vendéntes, & emite vobis. Dum autem irent émerere, venit sponsus: & quæ paratæ erant, intravérunt cum eo ad nuptias, & clausa est jánua. Novíssimè verò véniant, & reliquæ vírgines, dicentes, Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respón-dens, ait: Amen dico vobis, néscio vos. Vigiláte itaque, quia nescítis diem, neque horam.

**Offertorium. Psal. 44.** Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus afferéntur tibi in lætitia & exultatione adducéntur in templum Regi Dómi-

### Secreta.

**S**uscipe Dómine múnera, quæ in beátæ Bárbaræ vírginis & martyris tuæ solemnitáte deférimus, cuius nos confidimus patrocínio liberári. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus sancti DEUS. Per omnia sæcula sæculorum, Amen.

**Communio. Psal. 118.** Confundán-tur supérbi, quia injústè iniquitátem fecérunt in me: ego autem in mandátis tuis exercébor, in tuis iustificatióibus, ut non confundar.

### Postcommunio.

**A**uxiliéntur nobis, Dómine, sumpta mystéria: & intercedénte beáta Bárbara vírgine & martyre tua, sempitérna fácient protectione gaudere. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Die x. Decembris.

Translationis Almæ Domus Laureta-næ. Duplex.

Introitus.



Erribilis est locus iste: hic Domus Dei est, & porta cœli: & vocábitur aula Dei.

**Psal.** Quàm dilécta tabernácula tua Dómini ne virtútum! concupíscit, & déficit ánima mea in átria Dómini. **v.** Glória Patri.

**D**eus, qui beatæ Maríæ Vírginis Dó-mum per incarnati Verbi mysté-rium misericórditer consecrásti, eámque in sinu Ecclesiæ tuæ mirabili-ter collocásti: concéde, ut segregáti à tabernáculis peccatórum, digni efficiá-mur habitatores Domûs sanctæ tuæ. Per eúndem Dóminum.

### Lectio libri Sapiéntiæ.

**I**n omnibus réquiem quæsívi, & in hæreditáte Dómini morábor. Tunc præcépit, & dixit mihi Creator óm-nium, & qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo, & dixit mihi: In Ja-cob inhábita, & in Israël hæreditáre, & in éléctis meis mitte radíces. Et hic in Sion firmata sum, & in civitáte sanctifi-cata simíliter requiévi, & in Jerúsa-lém poténtias mea. Et radicávi in pó-pulo honorificáto, & in parte Dei mei hæréditas illius, & in plenitúdine Sanctórum deténtio mea. Quasi cedrus exaltáta sum in Líbano, & quasi cyprés-sus in monte Sion: quasi palma exaltáta sum in Cades, & quasi plantatio ro-sæ in Jéricho. Quasi olíva speciosa in campis, & quasi plátanus exaltáta sum juxta aquam in platéis. Sieut cinnamónum & bálsamum aromatizans odórem dedi: quasi myrrha élécta dedi suavitatem odoris.

**Graduale.** Unam pétii à Dómino, hanc réquiram, ut inhábitem in Domo Dómini omnibus diébus vitæ meæ.

**v.** Ut vídeam voluptátem Dómini, & visitem templum ejus. Alleluja, al-

lelúja.

leluja. **v.** Beati qui habitant in Domo tua Dómine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Alleluja.

**Sequentia sancti Evangélii secundum Lucam.**

**I**N illo tempore: Missus est Angelus Gábriél à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen Vírginis María. Et ingrüssus Angelus ad eam, dixit: Ave, grátia plena: Dóminus tecum: Benedicta tu in mulieribus. Quæ, cùm audisset, turbata est in sermone ejus, & cogitabat, qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeras, María; invenisti enim gratiā apud Deum: ecce concípies in útero, & páries filium, & vocabis nomen ejus JESUM. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus: & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Dixit autem María ad Angelum: Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognosco? Et respóndens Angelus, dixit ei: Spíritus sanctus supervéniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque, & quod nascétur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Elísabeth cognáta tua, & ipsa concépit filium in senectute sua: & hic meus sis sextus est illi, quæ vocátur stérilis: quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem María: Ecce ancilla Dómini, fiat mihi secundum verbum tuum. **Credo.**

**Offertorium.** Introibo in Domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitébor nómini tuo.

**Secreta.**

**A**ccipe, quæsumus Dómine, múnera in hac sacra Domo dignanter oblata: & beatæ Mariæ Vírginis suffragántibus méritis, ad nostræ salutis auxilium provenire concéde. Per Dóminum nostrum.

**Præfatio.** Et te in festivitate beatæ Mariæ semper Vírginis.

**Communio.** Beatus qui audit me, & qui vigilit ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, invénet vitam, & háuriat salutem à Dómino.

**Postcommunio.**

**Q**uæsumus Dómine Deus noster ut sacrostantamystéria, quæ pro reparatiōnis nostræ munimime contulisti; intercedente beatæ María semper Vírgine, & præsens nobis rémèdium esse facias, & futurum. Per Dominum nostrum.

**FESTA FEBRUARIJ.**

**Die i. Februarij.**

**IN FESTO**

**S. Brigidæ Virginis.**

**Introitus Psalm. 44.**



Ilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: protéra unxit te Deus, Deus tuus óleo lætitiae præ confortibus tuis.

**Psalm. ibid.** Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. **v. Gloria Patri.**

**Oratio.**

**O**mnipotens sempiterne Deus, qui es sanctorum glória virtutum, cleméntiam tuam supplices exorámus: ut per mérita beatæ virginis tuæ Brigidæ, opportūnum tuæ pietatis auxilium sentiámus. Per Dóminum.

**L**ectio Epistolæ beati Pauli Apóstoli ad Corínthios. **2. Cor. 10. d**

**F**ratres, Qui gloriatur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seipsum comméndat, ille probátus est: sed quem Deus comméndat. Utinam sustinerétes modicum quid insipiéntiæ meæ, sed & supportáte me. Æmulor enim vos Dei æmulatiōne. Despóndi

enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.

**Graduale. Psal. 44.** Spécie tua, & pulchritudine tua, intende, prósperè procéde, & regna. ¶ Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam: & deducet te mirabiliter déxtera tua. Alleluja, alleluja.

¶ Hæc est virgo sápiens, & una de numero prudéntum. Alleluja.

Post Septuagesimam omisso Alleluja, & Verlu sequenti dicitur Tractus. ibid. Audi filia, & vide, & inclína aurem tuam: quia concupivit Rex spéciem tuam. ¶ Vultum tuum deprecabuntur omnes dívites plebis: filiæ regum in honore tuo. ¶ Adducéntur Regi virgines post eam: proximæ ejus afferéntur tibi. ¶ Afferéntur in lætitia & exultatione: adducéntur in templum Regis.

**Evangelium.** Simile erit regnum cælorum decem virginibus. ut in Communi Virginum & Martyrum. fol. xxv.

**Offertorium.** Ibid. Filiæ regum in honore tuo, astitit regina à dexteris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.

### Secreta.

**M**unera tibi Dómine dicata sanctifica: & intercedente beata Brigida vírgine tua, per éadem nos placatus intende. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit & regnat in unitate Spíritus sancti Deus.

**Communio.** Matth. 25. Quinque prudéntes vírgines accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus: média autem nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite óbviā Christo Dómino.

### Postcommunio.

**S**atiasti, Dómine, familiam tuam munéribus sacris: ejus quæsumus semper interventione nos réfove, cuius solemnia celebrámus. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium

tuum: Qui tecum vivit & regnat in unitate Spíritus sancti Deus.

Die vi. Februarij.

**SANCTÆ DOROTHEÆ VIRG.** & Mart. Missa. Me expectavérint peccatóres. in Communi Virginis & Martyris. fol. xxvi.

Die vii. Februarij.

**S. ROMUALDI ABBATIS.** Missa. Os justi meditábitur. de Communi Abbatum. fol. xxiv.

### FESTA MARTII

Die i. Martij.

**S. ALBINI, CONFESSORIS PONTIFICIS,** Duplex in Diœcesi Gneñensi. Missa de Communi Confessoris Pontificis. Oratio.

**V**otiva quæsumus Dómine nos beatí Albini Confessoris tui atque Pontificis natalitia restáurent, & ad omne bonum tuâ grátiâ faciant propensiones. Per Dóminum nostrum.

Die ii. Martij.

**S. HELENÆ IMPERATRICIS VIDUÆ.** Introitus.



Ihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Dómini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.

**Psal. 22.** Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.

Gloria Patri. Oratio.

**D**omine Iesu Christe, qui locum, ubi crux tua latébat, beatæ Helenæ revelásti, ut per eam Ecclesiam tuam hoc pretioso thesáuro ditares; ejus nobis intercessione concéde, ut vitális ligni pretiō, æternæ vitæ præmia conseqúamur. Qui vivis & regnas &c.

**In Quadrages.** fit commem. Fer. Léctio libri Sapientiae. Prov. c. 31. Mulierem fortē quis invéniet? ut in Missa Cognovi. de eodem Communi.

**Graduale.** Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis, filiae Regum in honore tuo. **v.** Adducentur Regi virgines post eam, proximae ejus affrentur tibi in laetitia, & exultatione: adducentur in templum Regis.

**Tractus.** Veni sponsa Christi, accipe coronam. **ut in eadem Missa.**

**Sequentia sancti Evangeli secundum**

Matthaeum. cap. 13. f

**I**n illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenerit homo, abscondit, & præ gáudio illius vadit, & vendit univera, quæ habet, & emit agrum illum. Iterum simile est regnum cœlorum homini negotiatori querenti bonas margaritas. Invénta autem una pretiosa margarita, abiit, & vénidit omnia, quæ hábuit, & emit eam. Iterum simile est regnum cœlorum saginæ missæ in mare, & ex omni genere píscium congreganti. Quam, cum impléta esset, educantes, & secus litus sedentes, elegérunt bonos in vase, malos autem foras misérunt. Sic erit in consummatione saeculi: exhibent Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & stridor dentium. Intellexistis haec omnia? Dicunt ei: etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova & vétera.

**Offertorium.** Non enim judicávi me scire aliud, nisi Jesum Christum, & hunc Crucifixum.

### Secreta.

**P**er haec sacra mystéria concéde nobis Dómine, ut sicut beatæ Helenæ misericorditer tribuisti, ut Fílium tuum crucifixum in corde semper gestáret, ita & nos eum in cordibus nostris perpetuò deferámus. Per eundem Dominum nostrum.

**In Quadrag. commemor. Feriæ & Praefatio Quadrag.**

**Communio.** Ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus.

### Postcommunio.

**C**oncédé nobis misericors Deus, ut qui salutiferæ Crucis tuæ fructu in terra sumus recreati; per intercessionem beatæ Helenæ eodem jupiter perfici mereamur in cœlis. Qui vivis & regnas &c.

**In Quadrag. commem. Fer. & ultimum Evang. de eadem.**

**Die iv. Martij.**

### IN FESTO

S. Casimiri Confessoris.

Introitus. Psal. 36.



S justi meditabitur sapientiam, & lingua ejus loquétur iudicium: lex Dei ejus in corde ipsius.

**Psal. ibid. Noli æmulari in malignantibus: neque zelaveris facientes iniquitatem.**

**v. Gloria Patri.**

### Oratio.

**D**eus, qui inter regales delicias & mundi illécebras, sanctum Casimírum virtute constántiae roborasti: quæsumus, ut ejus intercessione fidèles tui terréna despiciant, & cœlestia semper aspirent. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

**Si venerit in Quadragesima, cum commemoratione Feriæ.**

**Pro commemoratione S. Lucii, Papæ & Martyris.**

### Oratio.

**D**eus, qui nos beatí Lúci Mártyris tui atque Pontificis annua solemnitate lætificas, concéde propitiatus, ut cuius natalitia colimus, de ejusdem étiam protectione gaudeamus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spíritus sancti Deus. Per omnia saecula saeculorum, Amen.

## Lectio libri Sapientiae. Eccli. 31

**B**ÉATUS vir, qui invéntus est sine mácula, & qui post aurum non ábiit nec sperávit in pecúnia & thesáuris. Quis est hic, & laudábimus eum, fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, & perféctus est, erit illi glória aetérna: qui pótuit tránsgressi, & non est transgrésſus; fáceremala, & non fecit. Ideò stabilita sunt bona illius in Dómino, & eleemosýnas illius enarrábit omnis Ecclésia Sanctorum.

**Graduale. Psal. 91.** Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multipli cábitur in domo Dómini.

**¶.** Ad annuntiandum manè misericórdiam tuam, & veritátem tuam per noctem.

**Tractus. Psal. 11.** Beatus vir, qui timet Dóminum: in mandatis ejus cupit nimis. **¶.** Potens in terra erit semen ejus: generatio rectórum benedicétur. **¶.** Glória & divítiae in domo ejus: & justitia ejus manet in sæculum sæculi.

**Sequentia sancti Evangélii secundum Lucam.** **Lucæ 12. c.**

**I**N illo tempore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in mánibus vestris, & vos símiles homínibus exspectantibus dóminum suum, quando revertátur à nuptiis; ut cum vénerit & pulsáverit, conféstim apériant ei. Beati servi illi, quos cum vénerit Dóminus, invénerit vigilantes: amen dico vobis, quod præcinctus se, & faciet illos discubere, & tránsiens ministrábit illis. Et si vénerit in secunda vigília, & si in tértia vigília vénerit, & ita invénerit, beati sunt servi illi. Hoc autem scítote, quóniam si sciret patrífamilias, qua hora fur veníret, vigiláret útique, & non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati: quia qua hora non putatis, Filius hóminis vénet. **Credo.**

**Offertorum. Psal. 88.** Véritas mea: & misericórdia cum ipso: & in nomine meo exaltábitur cornu ejus.

## Secreta.

**M**UNERA tibi, Dómine, dicáta sanctifica: & intercedénte beato Lúcio Mártyre tuo, atque Pontifice, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum nostrum Iesum Christum.

**Communio. Matth. 24.** Beatus servus, quem, cùm vénerit Dóminus, invénerit vigilátem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constituet eum.

## Postcommunio.

**R**Efécti cibo potuque cœlesti Deus noster, te supplices exorámus: ut in cuius hæc commemoratio ne percépimus, ejus muniámur & precibus. Per Dóminum nostrum.

## Pro S. Lucio.

## Postcommunio.

**H**ÆC NOC COMMUNIO Dómine purget à crímine: & intercedénte beato Lúcio Mártyre tuo atque Pontifice, cœlestis remédii faciat esse consortes. Per Dóminum.

## Die ix. Martij.

**S. Catharinæ Bononiensis, Ord. F. Francisci Minor. Duplex in Diœcesi Varmien.**

**Missæ ex Communi Virg. Dilexisti.**

## Die x. Martij.

**IN FESTO SS. Cyrilli & Methodii Confessorum & Pontificum.**

**Introitus. Psal. 131.**



Acerdótes tui, Dómine, induant justitiam: & sancti tui exultent: propter David servum tuum, non avértas faciem Christi tui.

**Psalmus. Meménto Dómine David, & omnis mansuetudinis ejus.**

**¶. Glória Patri.**

## Oratio.

**O**MNIPOTENS sempiterne Deus, qui nos per beatos Pontifices & Confessores tuos Cyrillum &

Metho-

Methódium ad unitátem fidei Christiánæ vocáre dignátus es, præsta quæsumus, ut, qui præsénti eórum festivitáte lætamur, ipsórum étiam méritis glóriam cónsequi mereámur æternam. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus sancti Deus.

**Epistola.** Plures facti sunt Sacerdótes, ut in Communi Confessoris Pontificis, fol. xviii.

**Graduale.** Psalm. 25. Sacerdótes ejus índuam salutári: & sancti ejus exultatione exultábunt. ¶ Illuc prodúcam cornu David parávi lucernam Christo meo.

**Tractus.** Qui séminant in lácrymis, in gáudio metent. ¶ Eúntes íbant & flebant, mitténtes sémina sua.

¶ Venientes autem vénient cum exultatione, portántes manipulos suos.

**Evangelium.** Vigiláte, quia nescítis, qua hora. de eodem Comm. fol. xviii.

**Offertorium.** Psalm. 67. Mirabilis Deus in Sanctis suis: Deus Israel, ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus.

### Secreta.

O Blátis, quæsumus, Dómine placare munéribus: & intercedéntibus sanctis tuis Cyrillo & Methódio à cunctis nos défende periculis. Per Dóminum.

**Communio.** Psal. 67. Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine, dicit Dóminus: & quod in aure audítis, prædicáte super tecta.

### Postcommunio.

P Ræsta nobis, quæsumus, Dómine, intercedéntibus sanctis Confessóribus tuis Cyrillo & Methódio, ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum vivit & regnat.

## FESTA APRILIS.

Die xxiii. Aprilis.

I N F E S T O  
S. Adalberti Episcopi & Martyris, Regnique Poloniæ Patroni.

Introitus. Psal. 63.



Rotexisti me DEUS à convéntu malignántium, alleluja: à multitúdine operántium iniquitátem, Alleluja, alleluja.

**Psalm.** ibid. Exaudi Deus orationem meam cùm déprecor: à timore inimici éripe ánimam meam. ¶ Glória Patri.

### Oratio.

T Uam nobis indulgentiam quæsumus Dómine beatus Adalbertus Episcopus & Martyr implóret: ut & delicta nobis clementer ignoscas, & beneficia desiderata concédas. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus sancti Deus.

Léctio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Hebræos. Heb. 5.

F Ratres, Omnis Póntifex ex hominibus assumptus pro hominibus constitúitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis: qui condolére possit iis, qui ignórant, & errant: quóniam & ipse circumdatus est infirmitate: & propertéa debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offérre pro peccatis. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à DEO tamquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificavit ut Póntifex fieret: sed qui locútus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicitur: Tu es Sacérdos in ætérnum, secundum ordinem Melchisedech.

Alleluja, alleluja. ¶ Surréxit Pastor bonus, qui posuit ánimam suam

pro óvibus suis, & pro grege suo mori dignátus est, allelúja. **v.** Posuísti Dómine super caput ejus corónam de lápide pretiósso, allelúja.

**S**equéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. **Joan. 10.**

**I**N illo témpore: Dixit Jesus Pharisæis: ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Mercenárius autem, & qui non est Pastor, cujus non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem, & dimítit oves, & fugit: & lupus rapit, & dispergit oves: mercenárius autem fugit, quia mercenárius est, & non pértinget ad eum de óvibus. Ego sum Pastor bonus: & cognósco meas: & cognóscent me meæ. Sicut novit me Pater, & ego agnósco Patrem: & ánimam meam ponno pro óvibus meis. Et álias óves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovili: & illas opórtet me adducere, & vocem meam áudent, & fiet unum ovile, & unus Pastor. **Credo.**

**O**ffertorium. **Psalm. 20.** Posuísti Dómine in cápite ejus corónam de lápide pretiósso; vitam pétuit à te, & tribuísti ei. Alleluja.

**Secreta.**

**S**acrificium exhibitum, quæsumus, Dómine, benígnus assurñe: ut, quod nómini tuo in solemnitaté beáti Adalberti Mártyris tui atque Pontificis deférimus, nobis profít ad véniam. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

**C**ommunio. **Joan. 10.** Ego sum Pastor bonus, allelúja: & cognósco oves meas, & cognóscent me meæ, allelúja, allelúja.

**Postcommunio.**

**R**efécti Dómine munéribus sacris, supplices te deprecámur; ut indulgéntiam tuam nobis intercessio beáti Adalberti Mártyris tui atque Pontificis semper implóret. Per Dóminum nostrum.



**FESTA MAIJ.**

**D**ie ii. Maij.

**IN FESTO**

**S. SIGISMUNDI REGIS & MARTYRIS.**

**Introitus.** **Psalm. 63.**



Rotexisti me DEUS à convéntu malignántium, allelúja: à multitudine operántium iniquitátem, Allelúja, allelúja.

**P**salm. ibid. Exáudi Deus oratióne meam cùm déprecor: à timóre inimici éripe ánimam meam. **v.** Glória Patri.

**Oratio.**

**D**EUS, qui beatum Sigismundum Regem, temporáli & aetérno diadémate cum désideráta Martyrii coróna honorare dignátus es: tríbue quæsumus; ut qui ejus mérita venerámur in terris, ipsius intercessione ab omnibus protegámur advérsis. Per Dóminum nostrum.

**L**éctio libri Sapientiæ. **Sap. 5.** **T**ábunt justi in magna constantia adverſus eos qui se angustiavérunt, & qui abstulérunt labores eórum. Vidéntes turbabuntur timóre horribili, & mirabuntur in subitatióne insperatæ salutis, dicéntes intra se, pœnitentiam agéntes, & præ angústia spíritus geméntes: Hi sunt, quos habuimus aliquando in derísum, & in similitudinem impropérii. Nos insensati vitam illórum aestimabámus insániam, & finem illórum sine honore: ecce quómodo computáti sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illórum est.

**A**llelúja, allelúja. **v. Psal. 88.** Confitebuntur cœli mirabília tua Dómine: étenim veritátem tuam in Ecclesia sanctorum. Allelúja.

**v. Psalm. 20.** Posuísti Dómine super caput ejus corónam de lápide pretiósso. Allelúja.

**S**equéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. **Joan. 15.**

**I**N illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ego sum vitis vera: & Pater

meus

meus agrícola est. Omnem pálmitem in me non feréntem fructum, tollet eum: & omnem qui fert fructum, purgábit eum, ut fructum plus áfferat. Jam vos mundi estis própter fermónem, quem locutus sum vobis. Manéte in me, & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manérerit in vite: sic nec vos, nisi in me manéreritis. Ego sum vitis, vos pálmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sinè me nihil potéstis fáceré. Si quis in me non manérerit, mittétur foras sicut palmes, & aréscet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Si manéreritis in me, & verba mea in vobis manérerint: quodcúmque voluéreritis, petétis, & fiet vobis. Credo.

**Offertorium. Psalm. 88.** Confitebuntur cœli mirabilia tua Dómine: étenim veritátem tuam in Ecclesia sanctórum. Alleluja.

**Secreta.**

**C**oncéde, quæsumus Rex æténe: ut hujus sacrificii munus oblátum, intervéntu sancti Sigismundi Regis & Mártyris, fragilitátem nostram ab omni adversitaté semper prótegat & muniat. Per Dóminum.

**Communio. Psalm. 63.** Lætabitur justus in Dómino, & sperábit in eo: & laudabuntur omnes recti corde, Alleluja, alleluja.

**Postcommunio.**

**P**urificent nos, quæsumus Rex æténe, tua percépta Sacraménta: & intercessióne beati Sigismundi Regis & Mártyris tui, ab omni malo expiátos, tibi nos reddant accéptos. Per Dóminum nostrum.



Die iv. Maij.

**I N F E S T O**  
Sancti Floriani Martyris.  
Introitus. Psal. 63.



Rotexisti me DEUS à convéntu malignántium, alleluja: à multitúdine operántium iniquitátem, Alleluja, alleluja.

**Psalm. ibid.** Exaudi Deus orationem meam cum déprecor: à timóre inimici éripe animam meam. **x.** Glória Patri.

**Oratio.**

**D**eus, qui nos beati Floriani Martyris tui solemnitáte lætificas: concéde propítius, ut cujus gloriósum triumphum venerámur in terris, societatis ejus lætitiam adipisci mereámur in cœlis. Per Dóminum.

**L**ectio libri Sapientiae. **Sap. 5.**  
**S**tábunt justi in magna constantia adverfus eos qui se angustiavérunt, & qui abstulerunt labores eorum. Vidéntes turbabuntur timóre horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salútis, dicentes intra se, pénitentiam agéntes, & præ angustia spíritus geméntes: Hi sunt, quos habuimus aliquando in derísum, & in similitúdinem impropérii. Nos insensati vitam illórum aestimabamus infaniam, & finem illórum sine honore: ecce quómodo computáti sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illórum est.

**A**lleluja, alleluja. **x. Psal. 88.** Confitebuntur cœli mirabilia tua Dómine: étenim veritátem tuam in Ecclesia sanctórum. Alleluja.

**x.** Pretiosa in conspéctu Dómini, mors sanctórum ejus, alleluja.

**S**equentia sancti Evangélii secundum Joánnem. **Joan. 15.**

**I**n illo tempore: Dixis Jelus discípulis suis: Ego sum vitis vera: & Pater meus agrícola est. Omnem pálmitem in me non feréntem fructum, tollet eum: & omnem qui fert fructum, purgábit eum, ut fructum plus áfferat. Jam

vos mundi estis propter sermónem, quem locutus sum vobis. Manéte in me, & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetiplo, nisi manérerit in vite: sic nec vos, nisi in me manéreritis. Ego sum vitis, vos pálmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia siné me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittétur foras sicut palmes, & aréscet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardēt. Si manéritis in me, & verba mea in vobis manserint: quodcumque volueritis, petétis, & fiet vobis. **Credo.**

**Offertorium. Psalm. 88.** Confitebuntur cœli mirabilia tua Dómine: étenim veritatem tuam in Ecclesia sanctorum. Alleluja.

**Secreta.**

**H**anc oblationis Hóstiam, quæsumus omnípotens Deus beati Flóriani Mártyris tui, digna comméndet oratio: qui sancto charitatis tuæ devictus amore, propriam sui corporis hóstiam in odorem suavitatis tibi obtulit vivam. Per Dóminum.

**Communio. Psalm. 63.** Lætabitur justus in Dómino, & sperabit in eo: & laudabuntur omnes recti corde, Alleluja, alleluja.

**Postcommunio.**

**S**ancta nos, quæsumus, Dómine, Sacraménti cœlestis participatio, & ab hóstium cállico tueántur in cursu: & sancto Floriano intercedente, nobis remédia salutis conferant sempiterna. Per Dóminum nostrum.

Die v. Maij.

**I N F E S T O**  
Translationis S. Wenceslai Martyris.

**Introitus. Psal. 63.**



Ætabitur justus in Dómino, & sperabit in eo: & laudabuntur omnes recti corde.

**Pf. ibid.** Exaudi Deus orationem meam cùm

déprecor: à timore inimici eripe animam meam.

**y. Glória Patri.**

**Oratio.**

**D**omine, qui beati Wenceslai nobilitatem in meliorem mutasti dignitatem, & eum per Martyrii palmam ad cœlestem perduxisti gloriam: ejus precibus nos, quæsumus ab omni adversitate libera, & æternæ beatitudinis concéde perfaci gloria. per Dominum.

**Léctio Epistolæ beati Petri Apóstoli.**

**1. Petr. 4. c.**

**C**harissimi, Communicantes Christi passiónibus gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Si exprobrámini in nomine Christi, beati eritis: quóniam quod est honóris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est ejus Spíritus, super vos requiecit. Nemo autem vestrū patiatur ut homicida, aut fur, aut malédicus; aut alienorum appetitor. Si autem ut Christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine. Quóniam tempus est, ut incipiat judicium à domo Dei. Si autem primū à nobis: qui non credunt Dei Evangélio? Et si justus vix salvabitur, ímpius & peccator ubi parébunt? Itaque & hi, qui patiuntur secundū voluntatem Dei, fidélium Creatori comméndent áimas suas in benefactis.

**Graduale. Psalm. 36.** Justus cùm cíderit, non collidetur: quia Dóminus suppónit manum suam. **y.** Tota die miseretur, & cōmodat: & semen ejus in benedictiōne erit.

**Tractus. Psal. III.** Beatus vir, qui timet Dóminum: in mandatis ejus cupit nimis. **y.** Potens in terra erit semen ejus: generatio rectórum benedicetur. **y.** Gloriæ & divitiæ in domo ejus: & justitia ejus manet in sæculum sæculi.

**Sequentia sancti Evangélii secundū Matthæum. Matth. 16.**

**I**n illo tempore: Dixit Iesus discípulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat

crucem suam, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam. Qui autem perdiderit animam suam propter me, invenerit eam. Quid enim prodest homini, si mundum universum lucratur, animæ vero suæ detriméntum patiatur? Aut quam dabit homo commutatiōnem pro anima sua? Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis: & tunc reddet unicuique secundum opera ejus.

**Dicitur Credo.**

**Offertorium.** Psal. 20. Posuisti Domine super caput ejus corónam de lápide pretioso: vitam pétuit à te, & tribuisti ei.

**Secreta.**

**A**ccépta sit in conspéctu tuo, Domine, nostra devótio: & ejus nobis fiat supplicatione salutáris, per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

**Communio.** Joan. 12. Qui mihi ministrat, me sequatur: & ubi sum ego, illuc & minister meus erit.

**Postcommunio.**

**R**efécti participatiōne múnēris sacri quæsumus Domine Deus noster: ut cujus exequimur cultum intercedente beato Wencelao mártire tuo, sentiámus efféctum. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum vivit & regnat in unitate Spíritus sancti Deus.

Die vi. Maij.

**I N F E S T O**  
S. Stanislai Episcopi & Martyris,  
Regnique Poloniæ Patroni.

Introitus. Psalm. 63.



Rotexisti me DEUS à convéntu malignántium, alleluja: à multitúdine operántium iniquitátem, Alleluja, alleluja.

**Psalm.** ibid. Exaudi Deus oratiōnem meam cùm déprecor: à timore inimici éripe animam meam. ¶ Glória Patri.

**Oratio.**

**D**eus, pro cuius honore gloriósus Pónífex Stanisláus gládiis impiorum occubit: præsta quæsumus; ut omnes, qui ejus implórant auxílium, petitionis suæ salutárem consequántur efféctum. Per Dóminum.

Léctio Epistolæ beati Pauli Apóstoli.  
ad Hebræos. **Heb. 5.**

**R**atres, Omnis Pónífex ex hominibus assūptus, pro hominibus constitúitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offérat dona, & sacrificia pro peccátis: qui condolére possit iis, qui ignórant, & errant: quóniam & ipse circúmdatus est infirmitáte: & proptréa debet, quemádmodum pro populo, ita étiam & pro semetipso offérre pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur à Deo tamquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificávit, ut Pontifex fieret: sed qui locútus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie génuite. Quemádmodum & in álio loco dicit: Tu es Sacérdos in ætérnum, secundum ordinem Melchisedech.

Alleluja, alleluja. ¶ Surréxit Pastor bonus, qui posuit animam suam pro óvibus suis, & pro grege suo mori dignátus est, alleluja. ¶ Psal. 20. Posuisti, Domine super caput ejus corónam de lápide pretioso, alleluja.

Sequentia sancti Evangélii secundum Joánnem. **Joan. 10.**

**I**n illo tempore: Dixit Jesus Pharisæis: ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor animam suam dat pro óvibus suis. Mercenarius autem, & qui non est Pastor, cujus non sunt oves propriae, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit: & lupus rapit, & disperserit oves: mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de óvibus. Ego sum Pastor bonus: & cognosco meas: & cognoscunt me meæ. Sicut novit me Pater, & ego agnoscó Patrem: & animam meam ponno pro óvibus meis. Et alias oves há-

beo, quæ non sunt ex hoc ovili: & il-  
las opörtet me adducere, & vocem  
meam audient, & fiet unum ovile, &  
unus Pastor. **Credo.**

**Offertorium. Psalm. 20.** Posuisti  
Dómine in capite ejus corónam de lá-  
pide pretioso; vitam pétuit à te, & tri-  
buisti ei. Alleluja.

**Secreta.**

**M**unera tibi Dómine dicáta sanctí-  
fica: & intercedente beato Sta-  
nislao Mártyre tuo atque Pontí-  
fice, per éadem nos placátus inténde.  
Per Dóminum nostrum.

**Communio. Joan. 10.** Ego sum  
Pastor bonus, alleluja: & cognósco  
oves meas, & cognoscunt me meæ,  
alleluja, alleluja.

**Postcommunio.**

**H**æc nos communio, Dómine,  
purget à crímine: & intercedén-  
te beato Stanislao mártyre tuo,  
atque Pontífice, cœlestis remédii fáciat  
esse consórtes. per Dóminum.

*Die xiii. Maij.*

**In Feto S. Servatii Episcopi, & Confess.**  
Duplex in Diœcesi Gnesnensi.

**Misla. Státuit. Oratio.**

**D**eus, qui populo tuo sanctum de-  
disti Servátium prædicatorem,  
concéde quæsumus, ut nos tanti  
Pontificis intercessióne, & tuæ pietá-  
tis defensióne, ab omnibus ubique libe-  
mur advérsis, & tranquilla prosperirá-  
te, in tua júgiter laude lætemur. per  
Dóminum.

*Dominica 2. post Pascha.*

**Fest. mobile, etiam dicitur mens. April.**

**In Feto sanctissimi Sepulchri D. N.**

**JESU CHRISTI.**

**Introitus. Isaiæ c. II.**



N illa die erit radix Jésse,  
qui stat in signum populorum, ipsum gér-  
tes deprecabuntur. Alleluja, & erit Sepul-  
chrum ejus gloriósum, Alleluja.

**Psalm. 45.** Fluminis impetus læti-  
cat civitatem Dei, sanctificavit taber-  
naculum suum Altissimus. Gloria Pa-  
tri &c. In illa die.

**Oratio.**

**D**omine JEsu Christe, qui pro no-  
bis mortem subire, & in Sepul-  
chro depóitus tertia die resurge-  
re voluisti, concéde fámulis tuis, ut  
qui Sepulchri tui memóriam recóli-  
mus, Resurrecciónis quoque gloriæ par-  
ticipes esse mereámur. Qui vivis &c.

**Lectio Actuūm Apostolórum. C. 13.**

**I**n diébus illis: surgens Paulus & ma-  
nu filéntium indícens ait: Víri frátres  
filii géneris Abraham, & qui in vo-  
bis timent Deum, vobis vérbum salú-  
tis hujus missum est. Qui enim habi-  
tabant Jerúsalem & principes ejus, ig-  
norantes JEsum & voces Prophetárum,  
quæ per omne Sabbathum leguntur,  
judicantes implevérunt: & nullam cau-  
sam mortis inveniéntes in eo petié-  
runt à Pilato, ut interficerent eum.  
Cumque consummássent omnia, quæ  
de eo scripta erant, deponéntes eum  
de ligno, posuérunt eum in monumé-  
to. DEus verò fuscitávit eum à mor-  
tuis tertiat die: qui vius est per multos  
dies his, qui simul alcénderant cum eo  
de Galilæa in Jerusalém: qui usque nunc  
sunt testes ejus ad plebem.

**Graduale. Job. 13.** Qui expéctant  
mortem & non venit, quasi effodiéntes  
theslaurum, gaudéntque vehemén-  
ter cum invénerint Sepulchrum Alle-  
luja. Alleluja.

**Joan. 20.** Currébant duo simul, &  
ille alius Discipulus præcucurrit citius  
Petro, & venit prior ad monuméntum.  
Alleluja.

**Sequéntia sancti Evangélii secundum  
Lucam. Lucæ 24.**

**U**na Sabbathi valdè dilúculo vené-  
runt mulieres ad monuméntum,  
portántes, quæ paravérunt aró-  
mata, & invenérunt lápidem revolú-  
tum à monuménto, & ingréssæ non  
invenérunt Corpus Domini JEsu. Et

factum

factum est, dum mente consernatæ essent de isto, ecce duo viri stetérunt secùs illas in veste fulgénti. Cum timérent autem & declinárent vultum in terram, dixerunt ad illas, quid quæritis? Vivéntem cum mórtuis? Non est hic, sed surréxit. Recordámini quâ liter locutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset dicens: Quia oportet Fílium hóminis trádi in manus hóminum peccatórum, & crucifigi & die tértiâ resurgere. Et recordátæ sunt verbórum ejus, & regréssæ à monuménto, nuntiavérunt hæc omnia illis undecim & cæteris omnibus. Erat autem Maria Magdaléne, & Joanna, & Maria Jacobi, & cæteræ, quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apóstolos hæc: Et vila sunt ante illos sicut deliraméntum, verba ista, & non credidérunt illis. Petrus autem surgens, cucurrit ad monuméntum, & procumbens vidit linteámina sola pósita & abiit secum mirans, quod factum fúerat. **Credo.**

**Offertorium. Psalm. 41.** Transibo in locum Tabernáculi admirabilis usque ad domum DEI, Alleluja.

**Secreta.**

**D**eus, qui per depositionem sanctissimi Corporis Fílli tui in Sepúlchro, idem Sepúlchrum sanctificásti, concéde quæsumus, ut in hoc Sepulchro animâ & corde habitemus, per eundem.

**Communio. Sap. 9.** Beatus qui audit me & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obsérvat ad postes ostii mei, alleluja.

**Postcommunio.**

**D**eus, qui nos sancti Sepúlchri Fílli tui lætari facis honore, præsta quæsumus, ut in eodem sepulti, mundo moriamur, & tibi soli vivamus, per eundem.

**Die xvi. Maij.**

In Fæsto S. Joannis Nepomuceni, Martyris. Duplex.

**Missa. Protéxisti.** de Communi Mart. Tem. Pasch. extra tempus Pasch. **Missa.** Lætabitur.

**Oratio.**

**D**eus, qui ob invictum beati Joánis Sacramentale siléntium nova Ecclésiam tuam Mártyrii coróna decorásti: da nobis ejus intercessióne, & exémplo linguam cautè custodíre, ac ómnia pótius mala, quâm ánimæ detriméntum in hoc sæculo toleráre. Per Dóminum nostrum.

**Secreta.**

**P**er hæc tua, Dómine, sacra mystéria illo nos charitatis igne accendámur, quo inçlytus martyr Joannes eadem peragéndo flagrábat. Per Dóminum nostrum.

**Postcommunio.**

**S**píritum, Dómine, fortitúdinis hæc nobis tribuat mensa cœlestis, quæ beati martyris tui Joánnis pro Sacraménti honóre tentátam constántiam, júgiter aluit ad viçtoriam. Per Dóminum nostrum &c.

Die xxv. Maij.

In Fæsto S. Joannis de Prædo. Mart.

**Oratio.**

**D**eus, qui contra Machométicam pravitatem B. Joannem Verbi tui Præcónem eximum effecisti, concéde: ut sicut ipse pro tuæ fidei dilatatióne Martyrii palmam meruit obtinére; sic nos ejus intercessióne fidei nostræ præmia conféqui mereámur. Per Dóminum nostrum &c.

**FESTA JUNIJ.**

Die iij. Junij.

**IN FESTO**

Sancti Erasmi Episcopi & Martyris.

Tempore Paschali.

Introitus. Psalm. 63.



Rotexísti me DEUS à convéntu malignántium, alleluja: à multitudine operántium iniquitátem, Alleluja, alleluja.

**Psalm. ibid.** Exaudi Deus oratióne meam cùm déprecor: à timóre inimici éripe ánimam meam. v. Glória Patri.

## Oratio.

**D**eus, cuius virtute beatus Erasmus Martyr & Pontifex, multa tormentorum genera superavit: fac nos, quæsumus, ejus intercessione, universas insidias inimicorum nostrorum visibilium & invisibilium cum gaudio superare, & in Christo bonis operibus abundare. Per Dominum.

**E**pistola. Stabunt justi. de Communi Mart. tempore Paschali. fol. viij. Alleluja, alleluja. **v. Psal. 88.** Confitebuntur cœli mirabilia tua Domine: étenim veritatem tuam in ecclésia sanctorum. Alleluja.

**v. Psal. 20.** Posuisti Domine super caput ejus corónam de lápide pretioso. Alleluja.

**E**vangelium. Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est. **de eodem Communi.** fol. vij.

**O**ffertorium. **Psalm. 88.** Confitebuntur cœli mirabilia tua Domine, & veritatem tuam in ecclésia Sanctorum, alleluja, alleluja.

## Secreta.

**M**unera tibi Domine dicata sanctifica, & intercedente beato Erasmo martyre tuo atque Pontifice, per eadem nos placatus intende. Per Dominum nostrum.

**C**ommunio. **Psal. 63.** Lætabitur iustus in Domino, & sperabit in eo: & laudabuntur omnes recti corde, alleluja, alleluja.

## Postcommunio.

**R**efécti participatiōne muneris sacri, quæsumus Domine Deus noster: ut cuius exequimur cultum, intercedente beato Erasmo martyre tuo atque Pontifice, sentiamus effectum. Per Dominum.

Die iii. Junij.

**I**N FESTO  
S. Erasmi Episcopi & Martyris,  
post Pentecosten.

Introitus. Dan. 5.



Acerdotes Dei benedícite Dominum: sancti & humiles corde laudáte Deum. **Psal. ibid.** Benedícite ómnia ópera Domini Domino: laudáte & superexaltáte eum in sæcula.

**v. Glória Patri.**

## Oratio.

**D**eus, cuius virtute beatus Erasmus Martyr & Pontifex multa tormentorum genera superavit: fac nos, quæsumus, ejus intercessione, universas insidias inimicorum nostrorum visibilium & invisibilium cum gaudio superare, & in Christo bonis operibus abundare. per Dominum nostrum.

**L**ectio Epistolæ beati Pauli Apóstoli ad Corinthios. **2. Cor. 1.**

**F**ratres, Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolatiōnis, qui confortat nos in omni tribulatiōne nostra: ut possimus & ipsi confortari eos, qui in omni pressūra sunt, per exhortationem, qua exhortámur & ipsi à Deo. Quóniam sicut abūndant passiōnes Christi in nobis: ita & per Christum abūndat confortatio nostra. Sive autem tribulámur pro vestra exhortatiōne & salutē, sive confortámur pro vestra confortatiōne, sive exhortámur pro vestra exhortatiōne & salutē, quæ operátur tolerātiā ea rūndem passiōnum, quas & nos patimur: ut ipsis nostra firma sit pro vobis: scientes, quod, sicut socii passiōnum estis, sic eritis & confortatiōnis: in Christo Iesu Domino nostro.

**Graduale.** Psal. 8. Glória & honóre coronásti eum. **v.** Et constituisti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine. Alleluja, alleluja. **v.** Hic est Sacérdos, quem coronávit Dóminus. Alleluja.

**Sequentia sancti Evangélii secundum Matthæum.** Matth. 16. d

**I**n illo tempore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetípsum, & tollat crucem suam, & sequátur me. Qui enim voluerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam. Qui autem perdi-derit ánimam suam propter me, invéniat eam. Quid enim prodest hómini, si mundum univérsum lucrétur, ánimæ verò suæ detriméntum patiáatur? Aut quam dabit homo commutatió-nem pro áima sua? Fílius enim hómi-nis ventúrus est in glória Patris sui cum Angelis suis: & tunc reddet unicuique secundum ópera ejus.

**Offertorium.** Psal. 88. Invéni Da-vid servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, & bráchium meum confortábit eum.

### Secreta.

**M**unera tibi Dómine dicáta sanctí-fica: & intercedénte beáto Erásmo mártyre tuo atque Pon-tifice, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum nostrum.

**Communio.** Psal. 20. Posuísti Dó-mine in cápite ejus corónam de lápide pretioso.

### Postcommunio.

**R**efécti participatióne múnéris sa-cri, quælumus Dómine Deus no-ster: ut cuius exequimur cultum, intercedénte beáto Erásmo mártyre tuo atque Pontifice, sentiámus efféctum. Per Dóminum nostrum.

Die xx. Junii.

S. Bonifacii Episc. Mart.  
Missa. Statuit ei, de communi unius  
Mart. Pontific.

Die xxi. Junij.

**I N F E S T O**  
S. Aloysii Gonzagæ, Confessoris non  
Pontific. Duplex  
Introitus. Psal. 8. v. 6.



Inuísti eum paulò minùs  
ab Angelis: glória, &  
honóre coronásti eum.  
**Psalm. 148. v. 2.** Laudáte Dóminum omnes  
Angeli ejus: laudáte  
eum omnes virtutes ejus.

**v.** Glória Patri.

### Oratio.

**C**ælestium donórum distribútor  
Deus, qui in Angélico Juvéne  
Aloysio miram vitæ innocéntiam  
pari cum pœniténtia sociásti; ejus mé-  
ritis, & prémibus concéde, ut innocé-  
tem non fecuti, pœniténtem imitémur.  
per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapientiæ. Eccli. 31. 8.

**B**éatus vir, qui invéntus est sine má-  
cula: & qui post aurum non abiit,  
nec speravit in pecúnia, & thefáu-  
ris. Quis est hic, & laudábimus eum?  
fecit enim mirabília in vita sua. Qui  
probátus est in illo, & perféctus est, erit  
illi glória ætérna. Qui pótuit tránsgre-  
di, & non est transgréssus; fáceré ma-  
la, & non fecit: ídeò stabilita sunt bo-  
na illius in Dómino.

**Graduale.** Psal. 70. Dómine spes  
mea à juventúte mea, in te confirmá-  
tus sum ex útero; de ventre matris  
meæ tu es Protéctor meus.

**v.** Psalm. 40. 13. Me autem propter  
innocéntiam suscepisti, & confirmâsti  
me in conspéctu tuo in ætérnum. Al-  
leluja, alleluja. **v.** Psal. 65. 5. Beatus,  
quem elegisti, & assumpsisti: inhabi-  
tabit in átriis tuis. Alleluja

Sequentia sancti Evangelii secundum  
Matthæum. Matth. 22. 29.

**I**n illo tempore: Respondens Jesus, ait Sadducæis: Erratis, nescientes scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est à Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium. Et audientes turbæ mirabantur in doctrina ejus. Pharisæi autem audientes, quod silentium imposuerat Sadducæis, convenierunt in unum; & interrogavit eum unus ex eis legis Doctor, tentans eum: Magister, quod est mandatum magnum in lege? Ait illi Jesus: Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua: Hoc est maximum, & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet, & Prophætæ. **Credo.**

**Offertorium. Psal. 23. 3.** Quis ascendet in montem domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? innocens manibus, & mundo corde.

**Secreta.**

**C**ælesti convivio fac nos, domine, nuptiali ueste induitos accumbere, quam b. Aloysii pia preparatio, & juges lacrimæ inæstimabilibus ornabant margaritis. Per dominum.

**Communio. Psalm. 77. 25.** Panem cœli dedit eis: panem angelorum manducavit homo.

**Postcommunio.**

**A**ngelorum esca nutritos angelicis etiam, domine, da möribus vivere; & ejus, quem hodie colimus, exemplo in gratiarum semper actione manere. Per dominum.

**Die xxvij. Junij.**

**S.** Ladislai, Regis Hungariae, Confess. Duplex in Diœcesi Vilnensi, Samogit. & Livoniæ.

Missa ex xxv. August. Festo S. Ludovici, Confess.

**Oratio.**

**D**eus, qui beatum Regem Ladisláum Confessorem tuum divisis decorasti miraculis, praesta quæsumus, ut ejus suffragantibus meritis, ab omnibus semper muniamur avertis, & gaudiis perfruamur æternis. Per dominum.

**FESTA JULIJ.**

**Die ix. Julij**

**SS.** Martyrum Gorcomiensium, Dupl. in Diœcesi Posnanien. Plocens. & Varmien. ad libit.

Missa. Intret in conspectu. de Communi Mart.

**Die xij. Julij.**

**IN FESTO**

**S.** Margaritæ Virginis & Martyris.

Missa. Me expectaverunt. de Communi Virg. & Martyr. fol. xxvij.

**Die xv. Julij.**

**IN FESTO**

Divisionis Sanctorum Apostolorum.

Introitus. Psalm. 138.



hi autem nimis honorati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum.

**Psalm. ibid.** Domine probasti me, & cognovisti me: tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam. **y. Glòria Patri.**

**Oratio.**

**D**eus, qui Ecclesiam tuam distribuit per orbem terrarum, sanctorum Apostolorum prædicatione fundasti concéde propitijs, ut

quorum

quorum hodierna die sub una celebri-  
tate recolimus insignia, eorum in cun-  
ctis necessitatibus nostris experiamur  
suffragia. Per Dominum nostrum Je-  
sum Christum Filium tuum.

**L**ectio Epistolæ beati Pauli Apóstoli  
ad Ephesios. **Ephes. 2. d**

**F**RATRES, jam non estis hôspites, &  
advenæ: sed estis cives sancto-  
rum, & Domestici Dei: superæ-  
dificati super fundaméntum Apostoló-  
rum, & Prophetarum, ipso summo  
angulari lápide Christo IESU: in quo  
omnis ædificatio construēta crescit in  
templum sanctum in Domino, in quo  
& vos coædificámini in habitaculum  
Dei in Spíitu sancto.

**G**raduale. Psalm. 44. Constitues eos  
principes super omnem terram: mé-  
mores erunt nōminis tui Dominus.

**y.** Pro pátribus tuis nati tibi filii:  
propterea populi confitebuntur tibi.  
Alleluja, alleluja.

**y.** Joan. 15. Ego vos elégi de mundo,  
ut eatis, & fructum afferatis: & fru-  
ctus vester māneat. Alleluja

**S**equentia sancti Evangélii secundum  
Lucam. **Lucæ 9.**

**I**N illo tempore: Convocatis IESUS  
duodecim Apóstolis, dedit illis vir-  
tutem & potestatē super omnia  
dæmonia, & ut languores curarent.  
Et misit illos prædicare regnum Dei, &  
sanare infirmos. Et ait ad illos: Nihil  
tuleritis in via, neque virgam, neque  
peram, neque panem, neque pecú-  
niā, neque duas túnicas habeatis. Et  
in quācumque domum intraveritis,  
ibi manete, & inde ne exeat. Et  
quicunque non recéperint vos: ex-  
euntes de civitate illa étiam púlverem  
pedum vestrorum excútite in testimónium  
supra illos. Egréssi autem cir-  
cuibant per castella evangelizantes &  
curantes ubique:

**Credo.**

**O**ffertorium. Psal. 13. In omnem  
terram exivit sonus eorum: & in fines  
orbis terræ verba eorum.

### Secreta.

**G**LORIAM, Domine, Sanctorum  
Apostolorum tuorum perpet-  
tuam in eorum divisione recen-  
sentes, quæsumus, ut eam sacris mysté-  
rijs expiati, dignius celebrēmus. Per  
Dominum nostrum Iesum Christum.

### Præfatio de Apostolis.

**C**ommunio. Matth. 19. Vos qui  
secuti estis me, sedebitis super sedes,  
judicantes duodecim tribus Israhel.

### Postcommunio.

**P**ercéptis Domine Sacraméntis sup-  
plíciter exorámus: ut intercedénti-  
bus beatissimis Apóstolos tuis, quæ pro  
illorum veneranda gérimus commé-  
moratione, nobis proficiant ad medé-  
lam. Per Dominum.

**D**ie xvi. Julij.

In F<sup>e</sup>sto S. Mariæ de Monte Carmelo.

**D**ie xvi. Julij.

In F<sup>e</sup>sto SS. Eremitarum Andreæ &  
Benedicti Martyrum

**M**issa. Sapientiam de communiplu-  
rimorum Martyrum.

**D**ie xvij. Julij.

**S.** Simonis de Lipnica, Confess.  
Semiduplex.

**M**issa. Os justi. de Communi Con-  
fess. non Pontif. Oratio.

**C**oncede quæsumus omnipotens &  
misericors Deus, ut Beati Simó-  
nis Confessoris tui præclara mé-  
rita nobis proficiant, & Tuā gratiā,  
quam precámur, nos dignos efficiant, in  
qua firmati, tuæ gloriæ simus annume-  
rati. Per Dominum nostrum &c.

**D**ie xix. Julij.

In F<sup>e</sup>sto Beati Joannis de Dukla Confess.  
Missa Os Justi. de Comm. imo loco  
Confess. non Pontif. Evangel. ex odem  
Comm. 2. loco. Oratio.

**D**eus, qui Beatum Joannem Confes-  
sorem tuum eximiae humilitatis,  
& patientiae donis recreasti, con-  
cede propitiū, ut ejudem imitantes  
exempla, consequamur & præmia. Per  
Dominum &c.

*Die xxiv. Julii.*

S. Christinæ Virg. & Mart.

Missa. Me exspectavérunt. de communi Virg. & Mart.

Oratio. Indulgéntiam. & fit commémoratio Vigiliae sancti Jacobi, nisi sit Patrona vel Titularis Ecclesiæ.

*Dominica proxima post xxiv. Julij.*

In Feste beatæ Cunegundis, Virginis. Duplex.

Missa. Dilexisti. de communi Virg. non Mart.

Oratio

D Eus, qui B. Cunegundem dulcédinis tuæ benedictiōnibus prævenisti, ac Vírginem étiam in conjúgio conservâsti, præsta, quæsumus, ut ipsa interveniente per vitæ puritatem, tibi júgiter adhærere, & per ejus vestigia gradiéntes, ad te pervenire feliciter mereámur. Per Dóminum nostrum.

*Die xxx. Julij.*

Sancti Ceslai, Confessoris.

Duplex.

Missa. Os justi. de Communi Confess. non Pontific. Evangel. Designávit Dóminus. ex Communi Evangelist. vel ex Feste sancti Ignatii Confessoris.

Oratio.

D Eus, qui beátum Cesláum virgíneo morum candore præditum, & salutis animarum zelo succénsum in divérsis natiónum pôpulis, óperum sanctitáte, & fidei propagatiōne mirabilem effecisti: præsta quæsumus, ut ejus intercessiōne simus semper in fide stâbiles, & ad te, qui solus es æternæ salutis auctór ac largítor, misericordia tuæ múnere pervenire valeámus. Per Dóminum nostrum.

## FESTA AUGUSTI.

*Die xvi. Augusti.*

S. Rochi, Confessoris. Duplex.

Missa ex Communi Abbat.

Oratio.

D Eus, qui gloriósus es in Sanctis tuis, quíque cunéttis ad eórum patrocínia confugiéntibus suæ petitioñis salutárem præstas efféctum; concéde plebi tuæ, ut intercedénte B. Rocho Confessore tuo, quæ in ejus commemoratione se devótam exhibet, à languóre epidémiæ, quem in suo corpore pro tui nóminis glória passus est, sit libera, & tuo nómini semper sit dévota. Per Dóminum nostrum.

*Die xviii. Augusti.*

In Feste S. Claræ de Monte Falco.

Oratio.

D Eus, qui beátam Vírginem tuam Claram clarificans, in ipsius Cörpore passiónis Tuæ, & Trinitatis Mystéria renovâsti: præsta quæsumus; ejus præcibus & imitatiōne sic nos Tuæ Passiónis amaritudinem recordári, ut Trinitatis beatitudine pérfrui mereámur. Qui vivis & régnas cum Deo Patre &c.

*Die xix. Augusti.*

I N F E S T O

S. Benignæ Virginis & Martyris.

Introitus. Psalm. 118.



Oquébar in testimoniis tuis in conspéctu regum, & non confundébar: & meditábar in mandatis tuis, quæ diléxi nimis.

Psalm, ibid. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

Oratio.

D Eus, qui inter cætera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in sexu frágili vitériam martyrii contulisti: concéde propítius; ut, qui beátæ Benignæ virginis & martyris tuæ natalitia colimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Epistola. Confitébor tibi Dómine Rex. de Communi Virginis & Martyris. fol. xxv.

**Graduale. Psal. 45.** Adjuvabit eam Deus vultu suo : Deus in medio ejus , non commovébitur. **y.** Fluminis im- petus lætificat civitatem Dei : sanctifi- cavit tabernaculum suum Altissimus.

**Alleluja, alleluja.** **y. Psalm. 44** Addu- centur Regi virgines post eam, próxi- mae ejus afferentur tibi in lætitia. Al- leluja.

**Evangelium.** Símile erit regnum cœlorum decem Virginibus. de Com- muni Vírginis & Martyris. fol. xxv.

**Offertorium.** ibid. Diffusa est grá- tia in lábiis tuis , propterea benedixit te Deus in æternum , & in sæculum sæ- culi.

### Secreta.

**S**uscipe Dómine múnera , quæ in beátæ Benignæ virginis & marty- ris tuæ solemnitaté deférimus, cu- jus nos confidimus patrocínio liberári Per Dóminum nostrum.

**Communio. Matth. 25.** Quinque prudéntes vírgines accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus : média autem nocte clamor factus est , ecce sponsus venit , exite óbviām Christo Dómino.

### Postcommunio.

**A**uxiliéntur nobis , Dómine , sum- pta mystéria : & intercedénte beátæ Benignæ Vírgine & Marty- re tua , sempitérana fácient protectio- ne gaudére. Per Dóminum.

Die xxiv. Augusti.

### IN FESTO

Sancti Hyacinthi Confessoris.

**Introitus.** Psalm. 36.



S justi meditabitur sa- piéntiam, & lingua ejus loquétur judicium: lex Dei ejus in corde ipsius. **Psal. ibid.** Noli æmu- lári in malignántibus : neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

**y. Glória Patri.** **Oratio.**

**A**désto Dómine supplicatióibus nostris , quas in beáti Hyacinthi Confessoris tui solemnitaté defé-

rimus: ut qui nostræ justitiæ fiduciam non habémus, ejus , qui tibi plácuit , précibus adjuvémur. Per Dóminum nostrum Iesum Chriftum.

### Vel. Oratio.

**D**eus , qui beatum Hyacinthum Confessorem tuum , in diversis nationum populis óperum sancti- tate, & miraculorum glória fecisti conspicuum: da nobis , ut suis in melius reformémur exémplis, & in adversis protegámur auxiliis. Per Dóminum.

**Secunda Oratio de Octava Assumptionis B. Mariæ.** Famulorum tuo- rum.

**Tertia Oratio, de Octava S. Lauren- tii.** Da nobis.

**L**ectio Epistolæ beati Pauli Apóstoli ad Corinthios. **i. Cor. 4. b**

**F**ratres : Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis , & homini- bus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudéntes in Christo: nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles. Usque in hanc horam & eturimus, sitimus , & nudi sumus, & cólaphis cædimur, & instábiles sumus , & laboramus operantes manibus nostris : maledicimur, & be- nedicimus : persecutiōnem pátimur , & sustinémus: blasphemámur, & ob- secrámus : tamquam purgamenta hu- jus mundi facti sumus , ómnium per- ipséma usque adhuc. Non ut con- fundam vos, hæc scribo, sed ut filios meos charíssimos móne. In Christo Iesu Dómino nostro.

**Graduale. Psal. 91.** Justus ut palma florébit : sicut cedrus Libani multipli- cábitur in domo Dómini.

**y. Ad** annuntiandum manè miseri- córdiam tuam & veritatem tuam per noctem. Alleluja, Alleluja.

**y. Jac. 1.** Beatus vir , qui suffert tentatiōnem: quóniam cum probátus fuerit, accipiet corónam vitæ. Alleluja.

**Sequentia sancti Evangélii secundum**  
**Lucam.** **Luc. 12.**

**I**n illo tempore : Díxit Iesus discí- pulis suis : Sint lumbi vestri præ- cincti, & lucernæ ardentes in mani-

bus vestris, & vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptijs; cum venerit, & pulsaverit, confestim apierint ei. Beati servilli, quos cum venerit dominus, invenerit vigiliantes: amen dico vobis, quod praeceperit se, & faciet illos discubere, & transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita invenerit, beati sunt servi illi. Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique, & non sineret perfodi dominum suam. Et vos estote parati: quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.

**Offertorium.** Véritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

### Secreta.

**P**ræsta nobis, quæsumus omnipotens Deus: ut nostræ humilitatis oblatio, & pro tuorum tibi gratia sit honore sanctorum, & nos corpore pariter & mente purificet. Per dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

**Communio.** Matth. 24. Beatus servus, quem, cum venerit dominus, invenerit vigilantem: amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.

### Postcommunio.

**Q**uæsumus omnipotens Deus: ut, qui cœlestia alimenta percipimus, intercedente beato Hyacintho Confessore tuo, per hæc contra omnia adversa muniamur. Per dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit, & regnat in unitate spiritus sancti Deus.

*Dominica post Octavam Assumption.  
B. V. M.*

**Translatio S. Casimiri, Confess.**  
**Duplex.**

**Missa. Os justi. de Communi Confess. non Pontif.**

### Oratio.

**D**eus, qui beatum Casimirum de mundi & carnis victoria triumphantem, a terreno cœlesti Regnum transtulisti; da quæsumus, ut qui ejus hodie memoriam translationis agimus, ejusdem semper in adversitatibus experiamur suffragia. Per dominum.

*Die xxix. Augusti.*

**I N F E S T O**

**Sanctæ Sabinae Martyris**

**Introitus. Psalm. 118.**



E expectaverunt peccatores, ut perderent me: testimonia tua domine intellixi, omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis.

**Psal. ibid.** Beati immaculati in via: qui ambulant in lege domini.

**¶. Glòria Patri.**

### Oratio

**D**eus, qui inter cætera potentiae tuæ miracula, etiam in flexu frâgili victoriæ martyrii contulisti: concéde propitijs; ut, qui beatæ Sabinae martyris tuae natalitia colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per dominum nostrum.

**Epistola. Confitebor tibi domine Rex.** ut in Communi Martyris non Virginis. fol. xxxij.

**Graduale. Psal. 44.** Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem. **¶.** Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleum lætitiae. Alleluja, alleluja.

**¶. Spécie tua, & pulchritudine tua, intende, prosperè procéde, & regna Alleluja.**

**Evangelium.** Simile est regnum cœlorum thesæurop absccondito in agro. de eodem Communi. fol. xxxi.

**Offertorium.** Diffusa est grâtia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum, & in sæculum sæculi, alleluja.

**Secreta.**

**H**Ostias tibi, Dómine, beátæ Sabínae martyris tuæ dicátas méritis, benígnus assúme: & ad perpé-tuum nobistríbue provenire subsídium. Per Dóminum nostrum.

**Communio.** Psal. 118. Príncipes perlecúti sunt me gratis, & à verbis tuis formidávit cor meum: letábor ego su-per eloquia tua, quasi qui invénit spólia multa.

**Postcommunio.**

**D**ivini múnneris largítate satiáti, quæsumus Dómine Deus noster: ut intercedénte beáta Sabína martyre tua, in ejus semper participatióne vivámus. Per Dóminum.

Die xxx. Augus*ti*.**S. Rosæ Limanæ. Duplex.**

**Missa.** Dilexísti. ex Communiunius Virgin. **Oratio.**

**B**onorum ómnium largítor omní-potens Deus, qui B. Rosam cœle-stis grátiæ rore prævémentam, Vir-ginitatis & pudicitiæ decóre Indis flo-rescere voluísti: da nobis fámulis tuis, ut in odórem suavitatis ejus curréntes, Christi bonus odor effici mereámur. Per Dóminum nostrum JESUM Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit, & regnat.

In Diœcesi Vilnensi, Samogetien. Livoniæ celebratur xxvi. August.

Die xxx. Augus*ti*.

**SS. Felicis, & Adauerti, MM. Duplex**  
in Diœcesi Vilnensi, Samoget. &  
Livon.

Missa ut in Missal. Rom. additur Col-  
lecta pro Gratiarum actione.

**FESTA SEPTEMBRIS.**

Die vi. Septembris.

**S. Rotaliæ Virg. Panormitanæ, Duplex**  
in Diœcesi Posnan. &  
Varmien.  
Missa ut in fine Missalis.

Dié x. Septembris.

**I N F E S T O****Sancti Dalmatij Martyris.****Introitus. Psal. 20.**

N virtúte tua, Dómine, lätábitur justus: & su-per salutare tuum exultábit veheménter: desiderium ánimæ ejus tribuísti ei.

**Psal.** ibid. Quóniam prævenísti eum in benedictiōibus dulcédinis: posui-sti in cápite ejus corónam de lápide pretioso. **x. Glória Patri.**

**Oratio.**

**O**Mnipotens sempiterne Deus, fidélium tuorum indeficiens conservátor, qui gloriósi martyri-tui Dalmatij clarificare dignátus es solemnitatē: exaudi preces supplicántis Ecclésiæ, & præsta, ut, quæ devótè expetit, eo suffragante cónsequimere-atur. Per Dóminum nostrum JESUM Christum Fílium tuum.

**Epistola.** Memor esto Dóminum JESUM Christum. de Communi unius Martyris. fol. v.

**Graduale.** Psal. 20. Glória & ho-nóre coronásti eum. **x.** Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine. Alleluja, alleluja.

**x. Joan. 8.** Qui séquitur me, non ámbulat in ténebris, sed habébit lumen vitæ ætérnæ. Alleluja.

**Evangelium.** Si quis vult post me ve-nire. de Communi unius Martyris Pontificis. fol. iij.

**Offertorium.** Psal. 20. In virtúte tua Dómine lätábitur justus, & super salutare tuum exultábit veheménter: desiderium ánimæ ejus tribuísti ei.

**Secreta.**

**M**Unéribus nostris, quæsumus Dómine, precibúsque suscéptis: & cœlestibus nos munda mystérijs, & cleménter exaudi. Per Dóminum.

**Communio.** Matth. 16. Qui vult ve-nire post me, abneget semetipsum: & tollat crucem suam, & sequátur me.

## Postcommunio.

**R**efécti participatiōne mūneris sa-cri, quæsumus Dómine Deus no-stér: ut cujus exequimur cultum, intercedénte beáto Dalmátio mártyre tuo, fentiámus efféctum. Per Dó-minum.

Die xxiv. Septembris.

## IN FESTO

SS. Tyrſi, Palmatii, & Sociorum, MM.  
Duplex in Diœcesi Uladislav.

Introitus. Psal. 63.



Ætábitur justus in Dómino, & sperábit in eo: & laudabúntur omnes recti corde.  
**Psal. ibid.** Exaudi DEUS oratiōnem meam, cùm déprecor: à timóre ini-míci éripe ánimam meam.

℣. Glória Patri.

## Oratio.

**O**Mnipotens sempiterne Deus qui beáum Tyrsum, Palmátium, & Socios pro confessiōne nōminis tui fortes in certámine fecisti, & eos per mártirii palmam sanctis tuis in cœlis sociasti, præsta quæsumus, ut qui mártirii eórum diem annua devotiōne recólimus, ipsorum intercessiōne in confessiōne fidei simus stábiles, & in bonis opéribus efficáces. Per Dó-minum nostrum.

**Epistola.** Omne gáudium existimá-te. de Communi unius Martyris. fol. vj.

**Graduale.** Psal. 36. Justus cùm ce-ciderit, non collidétur: quia Dóminus suppónit manum suam. ℣. Tota die miserétur, & cōmodat: & semen ejus in benedičtiōne erit. Allelúa, allelúa. ℣. Posuísti Dómine super caput ejus corónam de lápide pretiōso. Allelúa.

**Evangelium.** Nihil est opértum quod non revelábitur. de Communi unius Martyris. fol. vj.

**Offertorium.** Psal. 8. Glória & ho-nóre coronásti eum: & constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

## Secreta.

**A**ccépta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: & eórum nobis fiat supplicatiōne salutáris, pro cujus solemnitáte defértur. Per Dóminum.

**Communio.** Joan. 12. Qui mihi mi-nístrat, me sequátur: & ubi sum ego, illic & miníster meus erit.

## Postcommunio.

**D**A, quæsumus Dómine Deus no-stér: ut sicut tuórum commemo-ratiōne Sanctórum, temporáli gratulámur officio? ita perpétuo lätémur aspéctu. Per Dóminum.

Die xxvi. Septembris.

S. Josphat, Episc. Mart. Duplex.  
Missa. Státuit. de Communi unius Mart. Pont.

## Oratio.

**O**Mnipotens sempiterne Deus, qui B. Jósaphat palmá mártirii con-decorando, Ecclésiæ Cathólicæ novum apud te intercessórem providísti, quæsumus, ut ejus méritis & auxílio, à malis ómnibus liberáti tuo nōmini studiósius serviámus. Per Dó-minum.

Die xxvij. Septembris.

IN FESTO  
Translationis S. Stanislai Episcopi & Martyris.

Introitus. Eccl. 45



Tátuit ei Dóminus te-staméntum pacis: & príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótij dígnitas in æténum.

**Psalm.** 131. Meménto Dómine Da-víd: & omnis mansuetudinis ejus.

℣. Glória Patri.

Ora-

**Oratio.**

**D**eus, pro cuius honore gloriósus Pónífex Stanisláus gládijs impiórum occubuit: præsta quæsumus; ut omnes, qui ejus implórant auxílium, Petitiónis suæ salutárem consequántur efféctum. Per Dóminum.

**Léctio** Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. **Heb. 5.**

**F**ratres, Omnis Pónífex ex homínibus assumptus pro homínibus constitúitur in ijs, quæ sunt ad Deum, ut ófferat dona, & sacrificia pro peccátis: qui condolére possit iis, qui ignórant, & errant: quóniam & ipse circúmdatus est infirmitate: & proptérea debet, quemádmodum pro populo, ita étiam & pro feme típso offérre pro peccatis: Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur á Deo tamquam Aaron. Sic & Christus non feme típum clarificávit, ut Pónífex fieret: sed qui locútus est ad eum: Filius meus es tu, ego hódie génu te. Quemádmodum & in álio loco dicitur: Tu es Sacérdos in ætérnum, secundùm órdinem Melchisédech.

**Graduale, Eccl. 44.** **Ecce** Sacérdos magnus qui in diébus suis plácuit Deo. **¶.** Non est invéntus similis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Alleluja, alleluja. **¶.** **Joan. 10.** Ego sum pastor bonus: & cognóscō oves meas: & cognoscunt me meæ. Alleluja.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joánnem. **Joan. 10.**

**I**n illo témpore: Dixit Jesus Pharisæis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem, & dimittit oves, & fugit: & lupus rapit, & dispérgit oves: mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pérpetinet ad eum de óvibus. Ego sum pastor bonus: & cognóscō meas, & cognoscunt me meæ. Sicut novit me

pater, & ego agnóscō Patrem: & ánimam meam pono pro óvibus meis. Et álias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovili: & illas opórtet me adduceare, & vocem meam audient, & fieri unum ovile, & unus Pastor. Credo.

**Offertorium.** Psalm. 20. Posuisti Dómine in cápite ejus corónam de lápide pretioso: vitam pétijt á te, & tribuisti ei Alleluja.

**Secreta.**

**M**Unera tibi Dómine dicáta sanctifica: & intercedénte beáto Stanisláo mártyre tuo atque Pontifice, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum nostrum.

**Communio.** **Joan. 10.** Ego sum Pastor bonus, alleluja: & cognóscō oves meas, & cognoscunt me meæ, alleluja, alleluja.

**Postcommunio.**

**H**Æc nos commúnio, Dómine, purget à crímine: & intercedénte beáto Stanisláo mártyre tuo atque Pontifice, cœléstis remédijs fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

Die xxvij. Septembri.

**I N F E S T O**  
Sancti Wenceslai Martyris.

**Introitus.** **Psal. 63.**



Ætabitur justus in Dómino, & sperábit in eo: & laudabuntur omnes recti corde.

**Psalm. ibid.** Exaudi Deus orationem meam cum déprecor: á timóre inimici éripe animam meam.

**¶.** **Glória Patri.**

**Oratio.**

**D**eus, qui beáti Wenceslai nobilitátem in meliórem mutásti dignitátem, & eum per Martyrij Palmam ad cœléstem perduxísti gloriā ejus précibus nos, quæsumus, ab omni adversitatē libera, & æternæ beatitudinis concéde pérfrui glória. Per Dóminum nostrum.

Lectio Epistolæ beati Petri Apóstoli.

I. Pet. 4. c

**C**harissimi, Communicantes Christi passiōibus gaudete, ut & in revelatiōne gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Si ex probrāmī in nōmine Christi, beati eritis: quóniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & quod est ejus Spíritus, super vos requieſcit. Nemo autem vestrūm patiatur ut homicida, aut fur, aut malēdīcus, aut alienorū appetitor. Si autem ut Christiánus, non erubēſcat: glorificet autem in isto nōmine. Quóniam tempus est, ut incipiat judicium à domo Dei. Si autem primūm à nobis: qui finis eorum, qui non credunt Dei Evangēlio? Et si justus vix salvabitur, impius & peccātor ubi parēbunt? Itaque & hi, qui patiūntur secundūm voluntatēm Dei, fidēlum Creatōri commēdēnt áimas suas in benefactis.

**Graduale. Psal. 66.** Justus cùm ceciderit, non collidētur: quia Dóminus suppónit manum suam. **v.** Tota die miserétur, & cōmodat: & semen ejus in benedictiōne erit.

**Alleluja, alleluja.** **v.** Qui séquitur me, non ámbulat in tenebris sed habébit lumen vitæ æternæ. Alleluja.

**Sequentia sancti Evangeli secundūm Matthæum.** **Matth. 16. d**

**I**n illo tempore: Dixit Iesu discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui enim voluerit ánimam suam salvam fáceret, perdet eam. Qui autem perdiderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Quid enim prodest homini, si mundum univérsum lucréetur, animæ verò suæ detriméntum patiatur? Aut quam dabit homo commutatiōnem pro ánima sua? Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis: & tunc reddet unicuique secundūm ópera ejus.

**Credo.**

**Offertorium.** **Psalm. 20.** Posuisti Dómine super caput ejus corónam de lápide pretiōſo: vitam pétijt à te & tribuisti ei.

**Secreta.**

**A**ccépta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: & ejus nobis fiat supplicatione salutáris, pro cuius solemnitatē defértur. Per Dóminum nostrum.

**Communio.** **Joan. 12.** Qui mihi ministrat, me sequárur: & ubi sum ego, illuc & minister meus erit.

**Postcommunio.**

**R**efécti participatiōne múnēris sacri, quæſumus Dómine Deus noster: ut cuius exequimur cultum: intercedénte beato Wenceslao mártyre tuo, sentiámus effectum. Per Dóminum nostrum.

## FESTA OCTOBRIS.

**Die x. Octobris.**  
**IN FESTO**  
**S. Gereonis & Sociorum Martyrum.**

**Introitus.** **Psal. 33.**



Lamavérunt justi, & Dóminus exaudívit eos: & ex omnibus tribulatiōnibus eorum liberávit eum.

**Psal. ibid.** Benedic Dóminum in omni tempore: semper iaus ejus in ore meo. **v.** Glória Patri.

**Oratio.**

**D**eus, qui hunc diem mártirum tuorum Gereónis, lociorumque ejus passiōne consecrásti: præsta quæſumus: ut eorum suffrágia apud te sentiámus in cœlis, quorum hic solennia pio amore venerámur in terris. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

**L**ectio libri Apocalypsis beati Joánnis Apostoli. **Apoc. 7. c**

**I**n diébus illis: Respóndit unus de senioribus, & dixit mihi: Hi, qui amici sunt stolis albis, qui sunt? &

unde

unde venérunt? Et dixi illi : Dómine mi, tu scis. Et dixit mihi : Hi sunt, qui venérunt de tribulatiōne magna, & lavérunt stolas suas, & dealbavérunt eas in sanguine Agni. Ideò sunt ante thronum Dei, & sérviant ei die ac nocte in templo ejus: & qui sedet in throno, habitabit super illos. Non esurient, neque sitiānt amplius, nec cadet super illos sol, neque ullus aestus: quóniam Agnus, qui in médio throni est, reget illos & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & abstérgat DEUS omnem larcymam ab oculis eorum.

**Graduale. Psal. 78.** Víndica Dómine sanguinem sanctórum tuórum, qui effulus est.

**¶. Psal. 67.** Posuérunt mortália servórum tuórum Dómine, escas volatílibus cœli: carnes sanctórum tuórum béstijis terræ. Alleluja, alleluja.

**¶. Psal. 67.** Justi epuléntur, & exultent in conspéctu Dei: & delecténtur in lætitia. Alleluja.

**Sequentia sancti Evangélii secundum Lucam. Lucæ. 6. c**

**I**N illo tempore : Delcendens Iesu de monte, stetit in loco campéstri, & turba discipulórum ejus, & multitudo copiosa plebis ab omni Iudæa, & Jerúsalem, & marítima, & Tyri, & Sydónis, qui vénérant ut audírent eum, & lanaréntur à languoribus suis. Et qui vexabántur à spiritibus immundis, curabántur. Et omnis turba quærébat eum tangere : quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Et ipse elevatis oculis in discípulos suos, dicébat : Beati páuperes : quia vestrum est regum Dei. Beati, qui nunc esuritis : quia saturabimini. Beati, qui nunc fletis : quia ridébitis. Beati éritis cùm vos óderint homines, & cùm separáverint vos, & exprobráverint, & ejecerint nomen vestrum tamquam malum, propter Filium hominis. Gau-

dete in illa die, & exultáte : ecce enim merces vestra, multa est in cælis.

**Offertorium. Psalm. 149.** Exultabunt sancti in glória, lætabúntur in cibilibus suis : exaltationes Dei in fáciibus, eórum, alleluja.

**Secreta.**

**M**Unera tibi, Dómine, nostræ votiónis offérimus : quæ & protuórum tibi grata sint honóre justórum, & nobis salutária, te misérante, reddántur. Per Dóminum.

**Communio. Psal. 78.** Posuérunt mortália servórum tuórum Dómine escas volatílibus cœli : carnes sanctórum tuórum béstijis terræ : secundum magnitudinem brachij tui posside filios morte punitórum.

**Postcommunio.**

**D**eus, qui nos & cœlestibus páscere Sacraméntis, & sanctórum Mártyrum tuorum Gereónis sociorúmque ejus non définis fovere suffrágijis : præsta quæsumus ; ut, quod illis ad glóriam contulisti, ad nostræ proficit fragilitatis auxílium. Per Dóminum.

**Die x. Octobris.**

**Festum Gratiarum Actionis pro Victoria de Turcis obtenta,**

**Missa ex votivis de SS. Trinitate.**

**Oratio.**

**D**eus, qui in summis Regni nostri periculis, antiqua brachii tui miracula renovásti, suscipe gratiarum actiones exultantium populórum, & quibus tanti gaudii causam præstisti, perpetuæ fructum concéde lætitiae. Per Dóminum.

**Secreta. Odórem Dómine.**

**Postcommunio.** Deus, qui neminem in te sperántem, ut post Votivam de SS. Trinitate ponuntur.

**Post x. Octobris feriâ non impeditâ.**

**S. Ludovici Bertrandi, Confess. non Pontif.**

**Missa. Os justi.**

Die xv. Octobris  
IN FESTO  
Sancti Hedvvigis Viduæ.  
Introitus.



Audeamus omnes in Dómino, diem festum celebrantes sub honore beatæ Hedvvigis: de cuius solemnitate gaudent Angeli, & collaudant Filium Dei.

**Psal. 44.** Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi.  
**v. Glória Patri.**

Oratio.

**D**eus gratiæ dator & gloriæ tuæ nobis propitijs sensum pietatis áperi, & præsta: ut, qui manentem civitatem hic non habémus, ad futuram quam quærimus beatæ Hedvvigis interveniente suffrágio, perducámur. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ. **Prov. 13.**

**M**ulierem fortem quis invéniat? procul, & de ultimis finibus prætium ejus. Confidit in ea cor viri sui, & spolijs non indigébit. Reddet ei bonum, & non malum, ómnibus diebus vitæ suæ. Quæsivit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum. Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum. Et de nocte surréxit, deditque prædam domésticis suis, & cibaria ancillis suis. Considerávit agrum: & emit eum: de fructu manuum suarum plantavit vineam. Accínxit fortitudine lumbos suas, & roboravit bráchium suum. Gustávit & vidi quia bona est negotiatio ejus: non extinguétur in nocte lucerna ejus. Manum suam misit ad fórtia, & dígitij ejus apprehenderunt, fulum. Manum suam apéruit inopi, & palmas suas exténdit ad páuperem. Non timébit dómui suæ á frigóribus nivis? omnes enim doméstici ejus ve-

stíti sunt duplicitibus. Stragulátam vestem fecit sibi: pyssus, & púrpura indumentum ejus. Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terræ. Sídonem fecit, & vénidit, & cíngulum trádidit Chananaeo. Fortitudo & decor indumentum ejus, & ridébit in die novissimo. Os suum apéruit sapiéntiæ: & lex cleméntiæ in lingua ejus. Considerávit sémitas domús suæ, & panem otiosa non comedit. Surrexérunt filii ejus, & beatissimam prædicavérunt, vir ejus, & laudávit eam. Multæ filiæ congregavérunt divítias: tu supergréssa es univer-sas. Fallax grátia, & vana est pulchritúdo: mulier timens Dóminum, ipsa laudabitur. Daté ei de fructu manuum suarum: & laudent eam in portis ópera ejus.

**Graduale. Psal. 44.** Diffusa est grá-tia in lábijs tuis: propterea benedixit te Deus in æténum. **v.** Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua. Allelúja allelúja.

**v. ibid.** Spécie tua, & pulchritudine tua, inténde, prósperè procéde, & regna. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secundum Matthæum. **Matth. 13. f**

**I**n illo tempore: Dixit Jesus discípulis suis parabolam hanc: Símile est regnum cœlorum thesáuro abscondito in agro, quem qui invenit homo abscondit, & præ gáudio illius vadit, & vendit univer-sa, quæ habet, & emit agrum illum. Iterum símile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Invénta autem una pretiosa margarita, abijt, & vénidit ómnia, quæ hábuit, & emit eam. Iterum símile est regnum cœlorum sagénæ missæ in mare, & ex omni génere píscium congregánti. Quam, cùm impléta esset, educéntes, & secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vaſa, malos autem foras mil-

runt.

runt. Sic erit in consummatione saeculi: exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & stridor dentium. Intellexistis haec omnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno coelorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova & vetera. **Credo.**

**Offertorium. Psalm. 44.** Regiae regnum in honore tuo, aestitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.

### Secreta.

**A**ccpta tibi sit, Domine, sacratae plebis oblatio, pro tuorum honore Sanctorum: quorum semeritis de tribulacione percepisse cognoscit auxilium. Per Dominum.

**Communio. ibid.** Diffusa est gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in eternum.

### Postcommunio.

**S**umpta, quæsumus omnipotens Deus, hostia salutaris ab adversis nos omnibus tueatur incurisibus: & post hujus labores exilij, beatæ Hervigis intervenientibus meritis, ducat ad requiem opulentam. Per Dominum nostrum.

*Die xv. Octobris.*

**S. Brunonis, Episcopi, Mart. Apostoli Prussiae. Duplex in Diocesis Varminis. & Sambiensi.**

**Missa. Statuit. de Communi unius Mart. Pontif.**

### Oratio.

**M**isericordissime Deus, pro cuius fidei propagatione S. Bruno Episcopus & Martyr, in his terris sanguinem liberaliter effudit, miserere animarum populi tui, easque a culpis & poenis liberas in Sanctorum tuorum numerum misericordissime inseras. Per Dominum.

*Die xx. Octobris.*

**I N F E S T O**  
Translationis S. Adalberti Episcopi & Martyris.

**Introitus. Eccl. 45.**



Tatuit ei Dominus testamentum pacis: & principem fecit eum: ut sit illi sacerdotij dignitas in eternum.

**Psalm. 131. Memoro Domine David: & omnis mansuetudinis ejus.**

**\* Gloria Patri.**

### Oratio.

**T**uam nobis indulgentiam, quæsumus Domine, beatus Adalbertus Episcopus & Martyr imploret: ut & delicta nobis clementer ignoscas, & beneficia desiderata concedas. Per Dominum nostrum.

**Lectio Epistolæ beati Pauli Apóstoli ad Corinthios. 2. Cor. 1.**

**F**ratres, Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolacionis, qui consolatur nos in omni tribulacione nostra: ut possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem, qua exhortamur & ipsi a Deo. Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis: ita & per Christum abundant consolatione nostra. Sive autem tribulamur pro vestra exhortatione & salute, sive consolamur pro vestra consolacione, sive exhortamur pro vestra exhortatione & salute, quæ operatur tolerantiam earumdem passionum, quas & nos patimur: ut spes nostra firma sit pro vobis: scientes, quod, sicut socii passionum estis, sic eritis & consolacionis: in Christo Iesu Domino nostro.

**Graduale. Psalm. 88. Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliabitur**

bitur ei, & bráchium meum confortabit eum.

**V.** Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocébit ei. Alleluja, alleluja.

**V.** Psalm. 109. Tu es Sacérdos in ætérnum, secundum ordinem Melchisedech. Alleluja.

Sequentia sancti Evangélii secundum Lucam. **Lucæ. 24.**

**I**N illo tempore: Dixit Iesus turbis: Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discípulus. Et qui non bájulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discípulus. Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarij sunt, si hábeat ad perficiendum: ne, poste aquam posuerit fundaméntum, & non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiunt illudere ei dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non pótuit consummáre? Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? Alioquin, adhuc illo longè argente, legationem mittens, rogit ea quæ pacis sunt. Sic ergo omnes ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ pòssidet, non potest meus esse discípulus. **Credo.**

**Offertorium.** Psalm. 20. Posuisti Dómine in capite ejus corónam de lápide pretioso: vitam pétijt à te, & tribuisti ei. Alleluja.

### Secreta.

**S**acrificium exhibitum, quæsumus Dómine, benignus assúme: ut, quod nōmini tuo in solemnitate (vel commemoratione) beati Adalberti Mártyris tui atque Pontificis deférimus, nobis profit ad véniam. Per Dóminum nostrum.

**Communio.** Psal. 88. Semel jurávi in sancto meo: semen ejus in ætérnum manébit: & sedes ejus sicut lumen conspectu meo, & sicut luna perfécta in ætérnum: & testis in cœlo fidélis.

### Postcommunio.

**R**Efécti Dómine munéribus sacris, supplices te deprecámur; ut indulgentiam tuam nobis intercessio beati Adalberti Mártyris tui atque Pontificis semper implóret. Per Dóminum nostrum.

Die xxi. Octobris.

### IN FESTO

Sanctæ Ursulæ & Sociarum.

#### Introitus.



Audeámus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore undecim milium Virginum: de quarum passione gaudent Angeli, & collaudant Filium DEI.

**Psal. 32.** Exultáte justi in Dómino: rectos decet collaudatio.

**V.** Glória Patri.

### Oratio.

**D**A nobis, quæsumus Dómine Deus noster, sanctarum Vírginum & Mártyrum tuarum Ursulæ & sociarum ejus palmas, incessibili devotióne venerári: ut quas dignamente non pòssimus celebrare, humilibus saltem frequentémus obséquijis. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

Pro commemoratione sancti Hilariónis Abbatis.

### Oratio.

**I**ntercéssio nos, quæsumus Dómine beati Hilariónis Abbatis comméndet: ut, quod nostri méritis non valémus, ejus patrocínio affequámur.

Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

**L**ectio Epistolæ beati Pauli Apóstoli ad Corínthios. **I. Cor. 7. c**

**F**RATRES, De virginibus præceptum Dómini non hábeo: consilium autem do, tamquam misericórdiam confecutus à Dómino, ut sim fidelis. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quóniam bonum est homini sic esse. Alligátus es uxori? noli querere solutio nem. Solutus es ab uxore? noli querere uxorem. Siautem accéperis uxorem, non peccasti. Et si núpserit virgo, non peccávit. Tribulacionem tamen carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco. Hoc itaque dico, fratres: Tempus breve est: reliquum est, ut & qui habent uxores, tamquam non habentes sint: & qui flent, tamquam non flentes: & qui gaudent, tamquam non gandentes: & qui emunt, tamquam non possidentes: & qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi. Volo autem vos finē solicitude esse. Qui finē uxore est, solitus est, quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxore est, solitus est, quæ sunt mundi, quómodo pláceat uxori, & divisus est. Et mulier innupta, virgo, cogitat quæ Dómini sunt; ut sit sancta corpore & spíitu: in Christo Iesu Dómino nostro.

**Graduale. Psal. 149.** Exultabunt sancti in glória: lætabuntur in cubilibus suis. **¶** Cantate Dómino cáanticum novum: laus ejus in Ecclésia sanctorum. Alleluja, alleluja.

**¶ Psalm. 44.** Adducéntur Regi virgines post eam: próximæ ejus afferéntur tibi in lætitia. Alleluja.

**Sequéntia sancti Evangélii secundum Matthæum. Matth. 25.**

**I**N illo tempore: Dixit Iesus discípulis suis parabolam hanc: Simile erit regnum cœlorum decem virginibus: quæ accipiéntes lámpades suas,

exierunt óbviām sponsō, & sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, & quinque prudéntes: sed quinque fátuæ accéptis lampádibus, non sumplérunt óleum secum: prudéntes verò accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciente sponsō, dormitavérunt omnes, & dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite óbviām ei. Tunc surrexérunt omnes virgines illæ, & ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt: Date nobis de óleo vestro: quia lámpades nostræ extinguuntur. Responderunt prudéntes, dicéntes: Nè forté non sufficiat nobis, & vobis, ite pótius ad vendentes, & émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus: & quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad nuptias, & clausa est jánua. Novissimè verò véniant, & reliquæ virgines, dicéntes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait: Amen dico vobis, nélcio vos. Vigilate itaque quia nescítis diem, neque horam. **Credo.**

**Offertorium. Psalm. 44.** Afferéntur Regi virgines post eam: próximæ ejus afferéntur tibi.

### Secreta.

**I**ntende, quæsumus, Dómine, múneda, altáribus tuis pro sanctárum vírginum & mártirum tuárum Ursulæ, & sociárum ejus festivitaté propórita: ut sicut per hæc beata mystéria illis glóriam contulisti, ita nóbis indulgentiam largiáris. Per Dóminum.

**Pro commemoratione sancti Hilariónis.**

### Secreta.

**S**acris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Hilárión Abbas, quæsumus, in salutem nobis provenire depóscat. Per Dóminum.

**Communio. Matth. 15.** Quinque prudéntes virgines accéperunt óleum in vasis suis cum lampádibus: média autem nocte clamor factus est, Ecce sponsus venit, exite óbviām Christo Dómino.

## Postcommunio.

**P**Ræsta nobis, quæsumus Dómine, intercedéntibus sanctis virginib⁹ & martyrib⁹ tuis, ut, quod ore contingimus, pura mente capiamus. Per Dóminum nostrum.

## Pro commemoratione sancti Hilariónis Abbatis.

## Postcommunio.

**P**Rótegat nos, Dómine, cum tui perceptione sacramenti beatus Hilarión Abbas, pro nobis intercedendo: ut & conversatiōnis ejus experiāmur insignia, & intercessiōnis percipiāmus suffrágia. Per Dóminum.

Die xxij. Octobris

**S. Joannis à Capistrano, Conf. Duplex.**  
Missa. Justus ut palma. de Communi Conf. non Pontif.

## Oratio.

**D**EUS, qui Ecclésiam tuam B. Joán-nis á Capistráno méritis & doctri-nis mirabiliter sublimâsti, & per eum de perfidis tyránnis in virtute SS. nóm̄inis Jesu fidéles tuos triumpháre fecisti, præsta quæsumus, ut de inimicis nostris ejus intercessiōne prævalentes in terris, præmiári cum ipso mereámur in cœlis. Per Dóminu.

Dominica iv. Octobris.

**S. Joannis Cantii, Confess. Duplex.**  
Missa. Justus ut palma. de Communi Conf. non Pontif.

## Oratio.

**D**EUS tuórum glória Sanctórum, præsta quæsumus, ut per intercessiōnem B. Joán-nis Cantii ab omnibus liberémur malis ánimæ, & corporis, & ad vitam perveniāmus sem-piternam. Per Dominum nostrum.

Vel, alia.

**D**EUS castárum méntium, & corporum summa pulchritudo, & omnis sciéntiæ fons & origo, concéde misericors, ut B. Joán-nis Cantii, cuius hodie festivitatem colimus, & qui tuæ majestati semper castâ mente

& corpore plácuit, & sacræ doctrinæ famulátus est, obsequio, ejus suffragante patrocínio pura tibi mente & corpore serviāmus, & cibo cœlestis doctrinæ pasti, in vitam nutriāmur æternam.

## Oremus.

**D**A quæsumus omnípotens & misericors Deus, ut B. Joannis confessoris tui exemplō misericordiam aliis exhibéntes méritis ejus apud te misericordiam consequámur. Per Dóminum nostrum.

## FESTA NOVEMBERIS.

Die xii. Novembris.

## IN FESTO

**SS. Martyrum quinque Fratrum Polonorum.**

Introitus. Psalm. 33.



Ultæ tribulatiōnes iustorum, & de his omnibus liberávit eos Dóminus: Dóminus custódit ómnia offa eorum: unum ex his non conterétur.

**Psal. ibid.** Benedíc Dóminum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo.

¶. Glória Patri.

## Oratio.

**S**Anctórum nos, quæsumus Dómine martyrum tuorum, Benedicti, Joán-nis, Matthæi, Isaáci, atque Christini gloriósa hodiéerna die tropheæ lätificant: quátenus eorum interventione, ad illam perveniāmus hæreditatem in qua iidem felices Angelorum cœtibus aggregati, tuæ semper majestatis perfruuntur ineffabili claritate. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccl. 44.

**H**I viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuérunt: cum sémine eorum permanent bona, hæreditas sancta nepotes eorum, & in-

teltaméntis stetit semen eórum, & filii eórum propter illos in ætérnum manent: semen eórum, glória eórum non derelinquéatur. Córpora ipsórum in pace sepulta sunt, & nomen eórum vivit in génératióne & génératióne. Sapiéntiam ipsórum narrent pòpuli & laudem eórum nuntiet omnis Ecclésia.

**Graduale. Psal. 132.** Ecce quám bonum & quám jucundum, habitare fratres in unum. ✕. Sicut unguéntum in cápite, quod descéndit in barbam, Aaron. Alleluja, alleluja. ✕. Hæc est vera fraternitas, quæ vicit mundi crímina: Christum fecuta est, inclita tēnens regna cœlestia. Alleluja.

**Sequentia sancti Evangélii secundum Lucam. Lucæ 12.**

**I**N illo témpore: Dixit Iesús discípulis suis: Atténdite à férmento Pharisæorum, quod est hypócrisis. Nihil autem opértum est, quod non revelétur: neque abscónditum, quod non sciátur. Quóniam quæ in tenebris dixistis, in lúmine dicéntur: & quod in aurem locuti estis in cubículis, prædicábitur in teatris. Dico autem vobis amicis meis: Ne terreámini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid fácient. Osténdam autem vobis, quem timeáatis: timéte eum, qui postquam occíderit, habet potestátem mittere in gehénnam. Ita dico vobis, hunc timére. Nónne quinque pásseres væneunt dipondio, & unus ex illis non est in oblivíone coram Deo? sed & capilli cápití vestri omnes numerári sunt. Nolite ergo timére: multis pásseribus pluris estis vos. Dico autem vobis: Omnis quicúmque conféssus fúerit me coram homínibus, & Filius hóminis confitébitur illum coram Angelis Dei.

**Credo.**

**Offertorium. Psalm. 5.** Gloriabún-  
tur in te omnes qui diligunt nomen  
tuum, quóniam tu Dómine benedices

justo: Dómine, ut scuto bonæ volun-  
tatis tuæ coronásti nos.

**Secreta.**

**H**ostias tibi Dómine sanctórum mártirum tuórum dicátas méritis benignus assúme, & ad perpéturn nobis tribue provenire subsídium. Per Dóminum.

**Communio. Sap. 5.** Et si coram homínibus torménta passi sunt, Deus tentávit eos: & tamquam aurum in fornáce probávit eos, & quasi holocáusta accepit eos.

**Postcommunio.**

**S**umpsimus Dómine sanctórum mártirum tuórum, Benedícti, Joánnis, Matthæi, Isaáci, atque Christíni solumnia celebrántes, Sacraménta cœlestia: præsta quæsumus, ut, quod temporáliter gérimus, ætérnis gáudiis consequámur. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum.

**Dominica proxima post xij. Novemb.**  
**S. Stanislai Kostkæ, Confess. Duplex.**

**Introitus.**



Onsummátus in brevi explévit témpora multa; plácita enim erat Deo áнима illius: propter hoc properávit educere illum de médio iniquitátum.

**Psal. L**audáte pueri Dóminum: Laudáte nomen Dómini.

**Gloria Patri.**

**Oratio.**

**D**eus, qui inter cætera Sapiéntiæ tuæ mirácula étiam in ténera ætate maturæ sanctitatis grátiam contulisti; da quæsumus, ut B. Stanislái exemplo, tempus instánter operándo rediméntes, in ætérnam ingredi réquiem festinémus. Per Dóminum nostrum.

**Léctio libri Sapiéntiæ.**

**J**ustus, si morte præoccupátus fúerit in refrigério erit. Senectus enim venerabilis est non diuturna, neque

annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata: Placens Deo factus est dilectus; & vivens inter peccatores translatus est: raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut neficitio deciperet animam illius. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, & inconstans concupiscentiae transvertit sensum sine malitia. Consummatus in brevi explavit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum. Populi autem videntes & non intelligentes, nec ponentes in praecordiis talia: quoniam gratia Dei, & misericordia est in Sanctos ejus, & respexit in electos illius. Condemnat autem justus mortuus vivos impios, & juventus celerioris consummata longam vitam injusti.

**Graduale.** Desiderium cordis ejus tribuisti ei, & voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedenis. Alleluja, alleluja. In initio cognovi de testimoniosis tuis, quia in æternum fundasti ea. Alleluja.

*Pecunia* Initium sancti Evangelij secundum Matthæum.

In illo tempore oblati sunt Iesu parvuli, ut manus eis impóneret, & oráret. Discípuli autem increpabant eos. Jesus verò ait eis: Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire; taliū est enim regnum cœlorum. Et cùm imposuistet eis manus, abiit inde. Et ecce unus accédens ait illi: Magíster bone quid boni fáciam, ut habeam vitam æternam? Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Unus est bonus Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata. Dixit illi: quæ? Jesus autem dixit: Non homicidium fácies, non adulterabis, non fácies, furum, non falsum testimónium dices; honóra patrem tuum, & matrem tuam, & diliges próximum tuum sicut te ipsum. Dicit illi adolescens: Omnia hæc custodívi à juventute mea: quid

adhuc mihi deest? Ait illi Iesus: Si vis perféctus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habébis thesáurum in cœlo: & veni séquere me.

Credo.

**Offertorium.** Introibo ad altare Dei: ad Deum, qui lætificat juventutem meam.

**Secreta.**

**A** Ngelorum pane, quæsumus Dómine, B Stanislai nos intercessio dignos efficiat, qui eo méritu Angelica manu recreari. Per Dóminum.

**Communio.** Cibavit illum Dóminus pane vitæ, & intellectus, & aquâ sapientiæ salutaris potavit illum.

**Postcommunio.** Ut nobis, Dómine, cœlestis quem sumpsimus panis sit vitæ B. Stanislao Confessore tuo intercedente, quæsumus, ut panis sit intellectus, & potus aquâ sapientiæ salutaris. Per Dóminum nostrum.

Die xix. Novembri.

**IN FESTO  
S. Elisabeth, Viduæ.**



Audeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore beatæ Elisabeth: de cuius solemnitate gaudent Angeli, & collaudant Filium DEI.

**Psalm. 44.** Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. Glória Patri.

**Oratio.** Túrum corda fidélium Deus misérator illustra: & beatæ Elisabeth precibus gloriósis fac nos próspera mundi despícere & cœlesti semper consolatione gaudere. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum qui tecum vivit.

**Lectio libri Sapientiæ. Prov. 13. b** Ulírem fortē quis invéniet? procul, & de ultimis finibus prætium eius. Confidit in ea cor

virisui, & spoliis non indigébit. Reddet ei bonum, & non malum, omnibus diebus vitæ suæ. Quæsivit lanam & limum, & operata est consilio manuum suarum. Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum. Et de nocte surrexit, deditque domesticis suis prædam, & cibaria ancillis suis. Consideravit agrum: & emit eum; de fructu manuum suarum plantavit vineam. Accinxit fortitudine lumbos suas, & roboravit brachium suum. Gustavit & vidi, quia bona est negotiatio ejus: non extinguitur in nocte lucerna ejus. Manum suam misit ad fortia, & dígitus ejus apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit inopi, & palmas suas exténdit ad páuperem. Non timébit domui suæ à frigóribus nivis? omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicitibus. Stragulatam vestem fecit sibi: pyssus, & purpura indumentum ejus. Nobilis in portis vir ejus, quando federit cum senatóribus terræ. Sindonem fecit, & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo. Fortitudo & decor indumentum ejus, & ridébit in die novissimo. Os suum apéruit sapiéntiæ: & lex clementiæ in lingua ejus. Consideravit sémitas dominus suæ, & panem otiosa non comedit. Surrexerunt filii ejus, & beatissimam prædicavérunt, vir ejus, & laudavit eam. Multæ filiæ congregavérunt divitiæ: tu supergræssa es universas. Falax grátia, & vana est pulchritudo: mutimens Dóminum, ipsa laudabitur. Date ei de fructu manuum suarum: & laudent eam in portis ópera ejus.

**Graduale. Psal. 44.** Diffusa est grátia in lábiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam: & deducet te mirabiliter déxtera tua. Alleluja, alleluja. ibid. Spécie tua, & pulchritudie tua, intende, prósperè procéde, & regna. Alleluja.

**Sequentia sancti Evangélii secundum Matthæum. Matth. 13. f**

**I**n illo tempore: Dixit Iesu discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cœlorum thesáuro abscon-

dito in agrò, quem qui invénit homo, & præ gaudio illius vadit & vendit univerfa, quæ habet, & emit agrum illum. Iterum simile est regnum cœlorum homini negotiatori quætentи bonas margarita, abiit, & vénidit omnia, quæ habuit, & emit eam. Iterum simile est regnum cœlorum saginæ missæ in mare, & ex omni genere píscium congreganti. Quam, cùm impléta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in consummatione saeculi: exhibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum, & mittens eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & stridor dentium. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba, doctus in regno cœlorum, simile est homini patrifamilias, qui profert de thesáuro suo nova & vétera.

### Credo.

**Offertorium. Psal. 44.** Filiæ regum in honore tuo, astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.

### Secreta.

**A**ccépta tibi sit Dómine, sacratæ plebis oblatio, pro tuorum honore Sanctorum: quorum le méritis de tribulatiōne percepisse cognoscit auxilium. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit & regnat in unitate Spíritus sancti Deus.

**Communio. v. ibid.** Diffusa est gratia in lábiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.

### Postcommunio.

**S**atiasti Dómine familiam tuam muneribus sacris: ejus quæsumus semper interventione nos réfove, cuius solémnia celebrámus. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit & regnat in unitate Spíritus sancti Deus.

Die xv. Novembris.

S. Gertrudis Virginis Abbatissæ.

Duplex.

Missa. Dilexisti.

Oratio.

**D**eus, qui in corde Beatae Gertrudis Virginis jucundam tibi mansiónem præparasti, ipsius méritis, & intercessione cordis nostri máculas cleménter abstérge, & ejusdem tribue gaudere consórtio. Per Dóminum.

In Archidiœcesi Gneznensi Semiduplex celebr. etiam xvii. Martii, & dicitur sequens

Oratio.

**I**ndulgéntiam tuam nobis, quæsumus Dómine, beata Gertrudis implóret, quæ tibi grata semper exiit & mérito castitatis, & tuæ profesiōne virtutis. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum vivit & regnat.

Die xvij. Novembris.

IN FESTO

S. Salomeæ Virginis, Reginæ Hali-  
ciæ. Duplex.

Missa. Dilexisti. de Communi Virg.



KALEN.